





Præclaro atque Colendissimo
Domino Coste, honorificæ Legionis Membro
et Exercituum Galliæ Archiatro:

In testimonium gratitudinis, obsequentiæ
et reverentiæ:

Balme
d.m.m.

DE ÆTIOLOGIA
GENERALI
CONTAGII.

Deux Exemplaires ont été déposés à la Bibliothèque Impériale.

On trouve cet Ouvrage, à Lyon,

Chez
- REYMANN et Comp.[e], Libraires, rue St-Dominique, n.° 63.
- YVERNAULT et CABIN, Libraires, même rue, n.° 64.

DE ÆTIOLOGIA GENERALI CONTAGII

PLURIBUS MORBIS, *v. g.*, LUI VENEREÆ, PHTYSI PULMONARI, FEBRI NOSOCOMIALI, PETECHIALI, VARIOLOSÆ, etc., etc., ET PRÆSERTIM PESTI ORIENTALI AC FEBRI FLAVÆ PERSÆPÈ

PROPRII.

Auctore CLAUDIO BALME,

Bellicæo (in Partitione *Ain* dictâ), olim in Universitate Parisiensi Medicinæ Studioso, jamdudùm Chirurgo 1.æ Classis in 22.â Cohorte levium peditum, Ex-Medico Exercitûs Gallici in Oriente, Doctore-Medico Monspeliensi, Comitatûs Beneficentiæ Lugduni Administratore, Secretario-Generali Societatis Medicæ ejusdem Civitatis, Consorte Societatum Medicarum Burdigalensis, Massiliensis, et Societatis Æmulationis et Agriculturæ Partitionis *Ain* dictæ, Sodali Academiæ Arcadum Romæ et Academiæ Regiæ Matritensis, etc.

LUGDUNI,

Ex Typis J. B. Kindelem, in Plateâ Ædium Archiepiscopatûs, n.° 37.

1809.

Si quis causas corporis affecti benè cognovit, potens est valdè ea afferre, quæ corpori commodent. (Hippocrates, *lib. de flatibus*, §. 2.)

Causæ morborum virulentæ non omnibus, sed certis ac determinatis corporis partibus, in quas suam exercent violentiam, infensæ sunt (Hofmann, *op. omn. t.* 1. *p.* 172.)

La science des causes est la plus difficile de toutes nos connaissances. — Les causes des maladies ne se connaîtront jamais, sans joindre le raisonnement aux faits, et les faits au raisonnement. (*Zimmerman*; de l'expérience, etc. t. 2. p. 201 et 252.)



DILECTIS

AC PRÆCLARIS CONCIVIBUS

D. D.

BAILLOD . . (Petro) , Adjutori - Præfecto Militari , Honorificæ Legionis Equiti , Imperii Baroni , et Ordinis-Majoris-Generalis Primario :

CARRIER . (Ludovico) , Utriusque Siciliæ Equiti , et levium peditum in Regiâ Cohorte Neapolitanâ Sub-Tribuno :

COCHAUD (Antonio) , in Curiâ S.E. Ministri Interioris Reipublicæ Sub-Primario Curatori :

GUILLAND (Joanni-Chrystopho) , in peditatû Ex-Centurioni-Præfecto :

GUILLON . (Francisco-Mariæ) , Jurisperito et Pacis Judici *(Lugduni)* :

NOVEL . . . (Ludovico) Adjutori-Præfecto Militari , Honorificæ Legionis Equiti , et Recensionum Militarium [illegible]-Inspectori :

Sibuet . . (Prospero), Adjutori - Castrensi, Honorificæ Legionis Consorti, Imperii Baroni, et equitatûs Chiliarcho-Majori :

Quorum Nomina
Gratam Memoriam excitant :
— Officia
Patriæ Fidem
ac Principis Beneficentiam proclamant :
— Animi dotes
Amicorum Benevolentiam,
Conterraneorum Devotionem,
et Omnium Observantiam imperant :

In pignus Gratitudinis,
Amoris atque Venerationis
Hoc Opusculum
Dedico, Voveo et Consecro,
quo non magis addictus
et obsequens alter,

Cl. Balme.

Scribebam Lugduni
28.â *die aprilis* 1809.

SUMMARIUM (*).

INTRODUCTIO. *Corpora sese contingentia mutuam et reciprocam actionem exercent. Pro contagio saltem duo requiruntur corpora. In universùm, debilitas generalis contagio opposita est. Morbi hæreditarii modo contagioso sese evolvunt. Circumstantiæ quibus variant contagii facilitas et energia.*

De Ætiologiâ Generali Contagii. I. *Quæstionis solvendæ expositio.* II. *Ejus extensio et divisio.*

Primum Quæstionis Membrum. III. *Febris flava et pestis orientalis ad eamdem morborum classem pertinent.* IV. *Nam utraque affectio proximas affinitates observat.* V. *Quod probatur.* VI. *Atmosphæra æquè calida ac humida febri flavæ et aliis biliosis febribus favet.* VII. *Sed præter aërem* proportionaliter *calidum et humidum, requiritur etiam regiminis anterioris vitium.* VIII. *Cur in Indiis Europæus febri flavæ magis fit obnoxius?* IX. *Invasio pestis cons-*

(*) Generalia tantùm in hoc Summario acervatìm designantur : Index verò ad calcem operis positus extenso modo et ordine alphabetico singula omnia pandit.

tituitur ex irritatione habituali et antecedente in cute, cujus energia diathesim biliosam refrænat, sed cujus, vice versâ, asthenia constans effectum calidi regiminis, id est, abdominalium viscerum affectionem permittit. X. *Probatur quod anteà* (VII) *dicitur.* XI. *A contagiosâ distingui debet febris flava epidemica.* XII. *Probatur etiam quod jàm* (V) *fuit dictum de necessitate certæ proportionis inter calorem et humiditatem atmosphæræ pro febris flavæ productione.* XIII. *Absentia istius proportionis inter calorem et humiditatem*, per prioris submissionem *in individuâ constitutione occurrens, febri flavæ obstat.* XIV. *Absentia ejusdem proportionis inter aëris calorem et humiditatem*, per augmentum prioris, *in corpore humano eamdem immunitatem affert.* XV. *De pestis simili modificatione secundùm caloris mutationes et ejus relationes cum humiditate.* XVI. *Confirmatur differentia inter pestem orientalem et febrem flavam jàm* (V) *enunciata.* XVII. *An, et cur flava febris minùs contagiosa quàm pestis?* XVIII. *Revertitur ad primum quæstionis membrum.* XIX. *Quantùm temporis in plantis servari potest germen contagiosum?* XX. *Cui causæ attribuenda est contagii evanescentia in Agmine sedem mutante?*

XXI. *Quandò contagiosæ materiei conservatio diutina datur?* XXII. *De miasmatibus suprà animalia depositis.* XXIII. *Idem morbi non sese præstant contagiosos pro cunctis animalibus quæ eadem non sunt.* XXIV. *Quomodo super animal coopertum potest servari contagii materies?* XXV. *Cur de modo, quo servari potest miasma in animali nudo, nihil certi dari potest?* XXVI. *De cætero, corpus* nudum *vel aquæ contactui expositum, minùs facilè contagem retinet.* XXVII. *Munditiei utilitas contrà contagium.* XXVIII. *An-non morbus contagiosus, tanquàm compositus à pluribus successivis assultibus actionis contagiosæ, considerari potest?* XXIX. *Hæc compositio præsumi datur è recidivis apud febrem pestilentem, variolosam, petechialem haud raris.* XXX. *Ejusdem argumenti continuatio.* XXXI. *De translatione contagii ex uno animali ad aliud diversæ speciei, sed priore illæso.* 1.° *De hominibus ad bestias.* XXXII. 2.° *De Bestiis ad homines, prioribus inoffensis.* XXXIII. 3.° *De homine ad hominem, priore incolumi.* XXXIV. *De miasmatis conditione ejus absorptioni necessariâ.* XXXV. *Actio miasmatis depositi ab humiditate (ex agentibus externis productâ) et à cutis flexibilitate*

pendet. XXXVI. *Non existit Contagium absolutum.* XXXVII. *Quâ ratione in corpore affecto contages gressum suum sæpè sistere valet ?* XXXVIII. *Via contagii ex infecto ad inficiendum.* XXXIX. *Facultas contagiosa in singulis morbi stadiis non existit.* XL. *Quandò existit et quid exhibet primum stadium ?* XLI. *Morbus contagiosus consistit in actione,* 1.° *suprà affectum, et* 2.° *suprà expositum.* XLII. *Tempus quo sese ostendit contagium apud ægrum, nec in omnibus morbis, nec in eodem morbo idem est.* XLIII. *Undè hæc differentia ?* XLIV. *Modus agendi contagis intra et extra corpus infectum difficilè explicatur.* XLV. *Exempla morborum non in primo, sed in ultimo stadio contagiosorum.* XLVI. *Contagium ab indole febrili morborum pendet.* XLVII, XLVIII, XLIX. *Continuatur argumentum præcedens.* L. *Quandò cessat contagiosa morbi facultas ?* LI. *Transmissio contagii de animali quodam ad aliud speciei diversæ.* LII. *Arte transmissum in diverso animali variè agit contagium.* LIII. *De contagii transmissione ex animalibus in homines.* LIV. *Ex hominibus ad animalia.* LV. *Contages in eâdem specie animalium non imminuitur.* LVI. *Ad hoc* 1.ª *conditio, contactus.* LVII. 2.ª *conditio,*

certus gradus humiditatis in aporrhoeis morbidis. LVIII. 3.ª *Conditio : relationes, analogia, affinitates temperamenti, functionum et structuræ.* LIX. *Quod probatur per epizootiarum, epidemiarum, et contagionum de uno ad alterum subjectum transmissionem.* LX. *Affinitates et sympathiæ inter corpora humana augentur in calamitatibus publicis.* LXI. *De circumstantiis contagioni contrariis.* 1.° *De ætate diversâ.* LXII. 2.° *De temperamenti discrepantiâ.* LXIII. 3.° *De sexûs diversitate.* LXIV. *Tamen non requiruntur hæ omnes diversitates pro contagione obstandâ.* LXV. *Exempla influxûs identitatis in functionibus etc. ad contagium producendum.* LXVI. LXVII. *Diversitates in modo agendi et vivendi etc. inter ægros et sanos, contagem impediunt.* LXVIII. *Mutuæ relationes, secundùm textum partium et statum aëris, diversè agunt.* LXIX. *Contagium cuidam assimilationi debetur.* LXX. *Certus energiæ gradus contagii impressionem præcedere debet.* LXXI. LXXII. *Secundùm energiam partium à contagione læsarum, variat contagii gradus.* LXXIII. *Contagium impeditur, quandiù cutis excitata existit.* LXXIV. *Absente anteriore cutis exercitatione, arcetur morbus contagiosus.* LXXV. *Quamvis exci-*

tatio cutis anterior sit necessaria, non est tamen causa essentialis contagii suscepti. LXXVI. *Particularis et gravis affectio alterius organi contagioni minùs favet.* LXXVII. LXXVIII. *Partium complicatio variare facit contagium.* LXXIX. LXXX. *De aliis circumstantiis contagioni particularibus.* LXXXI. *Prout continens et acuta, aut intermittens et lenta existit, febris contagiosa variè communicabilis est.* LXXXII. *Infectio adest periculosior ex statu impuro primarum viarum.* LXXXIII. LXXXIV. *Contagium rarius ac mitius in excelsis locis etc.* LXXXV. *Pro ægris aggregatis eadem symptomata, eamdem solutionem etc. exhibere videtur morbus contagiosus.* LXXXVI. *De actione aëris humidi super febrem flavam.* LXXXVII. *Quomodò vegetatio contagionem faciliorem reddere potest?* LXXXVIII. *Vegetatio et animalisatio sese adjuvant; sed unâ dominante, altera decrescit.* LXXXIX. *Humiditas temperamenti, sed adhuc certo caloris gradui juncta, contagem adjuvat.* XC. *Venti molles ad propagationem morborum inducunt.* XCI. *Progressus contagii minùs ab energiâ morbi quàm ab ægrorum numero pendet;* XCII. — *et ratione inversâ diathesis individuorum ejus actioni expositorum.*

XCIII. *Cur in peste ac in febre flavâ etc. gravius est contagium quàm in aliis morbis? Via contagii in hominibus vel in animalibus fortè non eadem est.* XCIV. *Conclusiones ex suprà dictis parùm decisivæ. Repetitio argumentorum quorum probatio tentata fuit.*

Secundum Quæstionis Membrum. XCV. *Quid est sanitas?* XCVI. *Cui rei tenet morbus? de vitâ unicuique propriâ. De vitâ hominis solitarii.* XCVII. *Vita hominum in societate positorum ex eorum communicatione influitur. Quænam positio requiritur ut morbus aut sporadicus aut contagiosus suscipiatur?* XCVIII. *Infectus suam contagionem* benè valenti *dare nequit, nec laboranti aliâ gravi affectione.* XCIX. *Ad contrahendum morbum contagiosum exiguntur conditio generalis, conditio localis remota, et conditio localis proxima.* C. *Conclusio negativa secundi membri quæstionis.*

Quædam generalia Corollaria solùm plerisque Typhis acutis applicanda.



EMENDANDA.

Pag.	*lin.*	*Pro*	*lege*
32,	20,	Juniperi granorum	Juniperi, granorum etc.
id.,	27,	Nantici	Nautici
33,	19,	aflictos	afflictos
40, additioni.	9,	immunitatum	immunitatem
41, notæ (1).	3,	curiorum	curiosum
42,	23,	hebdemadibus	hebdomadibus
47,	7,	me que	meque
id.,	14,	sensum	sensuum
49,	notæ (1),	*Vid.*	*Videatur*
137,	notæ (2),	*Burini*	*Rubini*

DE

INTRODUCTIO.

Usque adhuc haud pauca de contagio dicta fuerunt, et tamen de ejus existentiâ magna controversia inter scriptores adfuit. Alii enim ferè in omnibus morbis illud admiserunt; alii autem nullis, dùm plures quibusdam tantùm illud assignârunt. Cur hæc discrepantia? Undè hic dissensus? Errori aut inscitiæ aut systematum amori opinionem cujuslibet adscribere in animo non habens, ideas meas de contagio paucis ac simplicibus verbis modò sum communicaturus.

Corpora sese contingentia mutuam et reciprocam actionem exercent.

Corpus inanimatum, alteri pariter inanimato vicinum, huic posteriori impertit modificationem quam per accidens acquisivit: sic frigidum frigoris, calidum caloris etc. particeps illud facit. Uno verbo, atmosphæra prioris atmosphæram posterioris influit et mutat.

Planta pariter aliquo modo super plantam agit. Flos, qui segregatus colorem vividum offerre posset, inter alios flores decolores sese explicans, fit etiam pallidus. = Ramusculus siccus vicini ramusculi ariditatem provocat, aut pro eâ vitandâ, extractionem suam petit. = In tritico solo, præcipue quandò non rarum est, perfacilè advenit *ærugo*: verùm, si frumento *secale* dicto interrumpitur ac miscetur, non sæpè apparet hic contagiosus ce-

realium morbus. = Poma ejusdem speciei, quandò pluria jam sunt putrescentia, breviter hanc alterationem subeunt omnia; et hæc corruptio tardior accidit inter fructus horæos diversæ speciei : undè solent mulieres sedulæ ex intervallo visere illos, pro corruptis extrahendis et servandis reliquis. Quid his designatur, nisi influxus inter vegetabilia, major in eâdem et minor in dissimili specie? Hæc reciproca actio in minerali ac vegetabili regno recognita, cur inter animalia non admitteretur (*a*)? Sed quid per *contagium* intelligendum sit, explicare necesse est.

Pro contagio saltem duo corpora requiruntur.

Contagium duo saltem corpora supponit, unum super aliud agens. Si enim æquales ac reciprocas vires ambo tenebant, energiâ propriâ et ab ente simili alio omninò alienâ viverent; et tunc æquilibrium perfectum, aut potiùs, impotentia inter se mutuam actionem exercendi existeret. Itaque, in contagio corpus unum fortius est altero. Cuinam aut correpti aut expositi pertinet hæc energia dominans, sive influxio? De hâc re, nihil adhuc statutum. Attamen, ex ideâ vulgari corpus infectum dominari apparet; siquidem corporis mox inficiendi sortem et statum sibi assi-

(*a*) De sympathiæ singularibus effectibus videatur *Tobiæ Taut in suâ physicâ medicâ*. Lipsiæ, 1723, p. 561.

milat. Ergò, per morbum contagiosum nascitur vis quædam, quâ mediante, aliorum corporum, etsi sanitatis apparentiam prodentium, conditio brevì permutari videtur. Hæc autem alteratio non semper nec necessariò locum habet; et ad illam efficiendam, proportio, affinitas, relatio, uno verbo, opportunitas requiritur. Sed super hoc, in dissertatione, quam aggressurus sum, fusiùs dicetur: solùm et pro momento, ex modò dictis stabiliendum est, « *Contagium esse communicationem modi existendi non ordinarii, quo potiri supponitur corpus quoddam organisatum* (*b*), *uni aut pluribus aliis corporibus, quibuscum, in suo statu primitivo et naturali, analogias, relationes ac consensus evidentes exercebat.* » Hæc definitio sequentibus forsan clarior elucebit.

Contagii definitio.

Concipi potest ab igne electrico, singulis corporibus particulari et innato, eorum mutuam remotionem et vitam individuam produci, aut quod idem est, reciprocarum eorum influxionum sphæram multùm imminui et coarctari. Hoc posito, et in tempore calido ac humido, corporum animatorum et aliorum

Cur per humiditatem majus contagium?

(*b*) Quamvis mea definitio et vegetabilium et animalium contagioni æquè conveniat, attamen hìc admoneo de posterioribus sermonem meum ulteriorem exclusoriè intelligendum esse.

electricitate (*c*) sese affundente per atmosphæram, quæ melior conductor tunc adest, accideret-ne ut hæc eadem corpora, minorem fluidi electrici quantitatem possidentia, vitalitatem minùs expressam exhiberent, hâc ratione particularis eorum existendi modus minùs evidens ac minùs proprius fieret, tuncque, sphærâ influxûs eorum reciproci extensâ, affectiones quorumdam faciliùs aliis sese communicarent, et sic contagionem constituerent. Reapsè, contagiosi morbi frequentiores sunt in locis humidis, sicut et in illis ubi hominum coadunatio effectui istius nocivæ humiditatis favet, v. g., in navibus, nosocomiis ac carceribus parùm vento agitatis, malèque pro munditie et siccitate accuratis. = Scabies plerumque in exercitibus caput attollit, 1.° post labores continuos et graves, qui, debilitando milites, electricitatem eorum minùs hærentem faciunt; 2.° post pluvias, quæ ejusdem electricitatis exitum è corpore adjuvant; et

---

(*c*) Fluidum electricum magis abundat et agit in homine et aliis animalibus viventibus quàm in cadaveribus. Feles enim mortui, si fricantur, crepitum, nullam verò scintillam dant (*Sauvages*, dissert. sur la rage, in-4.° p. 28.) In isto casu adest humiditas, minor autem quàm in corporibus viventibus existit calor; et ex istius proportionis vitio inter humiditatem et calorem, procul dubio eruitur ratio cur Cadavera minus contagium portendunt.

3.° tandem post raras mutationes linteaminum ac vestium quæ continuam humiditatem, sive ex atmosphærâ sive ex sordido corporis sudore, præsentant. Hìnc, eadem imbecillitas ex corpore in aliud sese extendere videtur, si aliundè inter utrumque consensus adest. Verùm, cùm nulla creatura sibi perfectè consimilem inveniat, semper existit et existet quædam varietas generalis aut localis, propter quam eadem affectio morbida occurrens, symptomata plùs minûs-ve dissimilia producit. Indè in peste, v. g., aut petechiæ, aut bubones, aut anthraces, aut icteri, aut anginæ, aut pleuresia, aut cephalea, etc., apparebunt. Aliundè, si quædam diversitas, è statu differenter morbido deprompta, in corpore alterum affectione *communicabili* occupatum vicinante occurritur, prius conditionem posterioris non acquirit; et hæc est ratio cur jam morbosi (saltem acutè) contagium vel aliam ægritudinem non accipiunt. Ergò ex solâ aëris constitutione non constituetur contagium (*d*), sed solùm epidemia; ergò, ex plùs minùs-ve perfectâ analogiâ inter morbo tentatum et inter ejus actioni expositum, pendebit pestilentialis ac *communicabilis* affectio.

Undè dissimilitudo symptomatum contagii?

(*d*) *Degner* : historia medica de dyssenteriâ bilioso-contagiosâ. Neomagi, 1738, p. 60.

In universùm, debilitas generalis contagio opposita est.

Contagium, sine actione vitiosâ aut directione inversâ principii vitalis in uno quocumque corporis humani systemate, existere nequit (*e*); idcircò, scorbutus, ubi premit asthænia generalis, morbus naturâ suâ febrili affectioni oppositus habetur, ita ut, qui eo corripitur, diù à febrili contagio salvus sit, quamvis ejus influxui constanter objectus (*f*).

Consensus inter corpora, pro contagio stabiliendo requiritur.

Contagium, etsi cujuslibet actionis à principio vitali exercitæ vel receptæ consecutio, nec unum nec semper idem est : variat enim secundùm morbum ac partes læsas, neque locum habet, nisi mediante causâ, quæ corpori et infecto et inficiendo communis sit. Itaque, et ut suprà jam dixi, requiruntur quidam organisationis consensus inter ægrotantem et periclitantem miasmatibus circumfusos, sicut et quædam identitas in actione unius aut plurium ex sex rebus non-naturalibus sub quarum influxione versatur uterque. Sic, cutanea exanthemata sese plæraque communicant corporibus non adhuc morbidis, sed quorum

---

(*e*) *Vid.* Giornale della società med. chirurg. di Parma, vol. 6, p. 161.

(*f*) V. *Lind*, fièvres contagieuses, pag. 6, 7, 19. = *Vid.* quoque, pag. 25, dissertationis meæ de scorbuto (1805) gallicè editæ, et cujus commentarium manuscriptum maximè extensum celeb. Med. Paris. Scholæ judicio nuper subjeci.

cutis cum jam eodem ægrotantis organo affinitates et relationes plùs minùs-ve proximas observat : — Sic mulier, cujus quædam partes cum analogis viri partibus, sed vitio syphillitico laborantibus, contactum et attritum per cohabitationem subeunt, luem veneream contrahere capax est : — Sic tandem apud multos medicos phtysis pulmonaris tanquàm contagiosa donatur ; et istius morbi *communicabilitas* sequenti explanatione intelligi potest.

De communicatione phtysis pulmonaris.

Primùm, opportunitas pro hoc morbo à parentibus suscipiendo deduci valet ex organisatione expositi, et consistere, v. g., in collo longo et exili, thorace angusto, scapulis depressis et brachiis altis, oris colore nitido ac vivido, albis et pellucidis dentibus, pelle politâ et molli, glandulis cervicalibus tumefactis ac induratis, genio precoci et sagaci, etc., etc. . . . . Verùm, hæc eadem persona non adhuc phtysim capiet (per contagium), nisi eamdem ac jàm ægrotans auram hauriendo, eosdem locos habitando, easdem vestes induendo, eamdem vivendi rationem servando, easdemque habitudines adhibendo, etc. Etenim, si peregrinans sub aliâ atmosphærâ aërem mutat, si exercitiis familiæ suæ parùm ordinariis indulget, si varium regimen ac mentis labores diversos tenet,

probabilis aderit spes hunc viatorem valetudinarium, invito primitivæ suæ organisationis vitio, hanc calamitatem evasurum esse, modò tamen non sit jàm et tenaciter formata.

Morbi hæreditarii modo contagioso sese evolvunt.

Morbi, in quibus apud genitorem tàm penitùs vitiatos sese præbent quidam humores, ut suam eamdem degenerationem soboli communicent, maximè contagiosi considerari debent et reapsè considerantur, quoniam ratione perfecti gradûs analogiæ jam existentis in utriusque humoribus, exiguntur pro affectionis cujusdam contagiosæ susceptione minor consensus ac parcior similitudo in circumstantiis ægrum et sanum unà circumvenientibus: et hæc tanta opportunitas, quâ morbidus quidam status tendit ad transeundum ex uno ad aliud membrum ejusdem familiæ, eodem aëre, eisdem habitudinibus, etc. pro utroque semper suppositis, morbos hæreditarios producit, aut saltem evolvit. Ut prolixiùs et in sensu inverso loquar, notandum est aliquot personas natas cum maximâ dispositione ad contrahendum morbum quemdam (v. g. phtysim), eam tamen amisisse cum tempore, et simul mediante suâ unione cum alterâ sanissimâ personâ.

Suprà dictis addi queunt hæc alia generalia, præcipuè ad epidemias et typhos contagiosos pertinentia.

Circumstantiæ quibus variant contagii facilitas et energia.

1.° Elementum morbi cujuscumque contagiosi eò majus discrimen portendit, quò magis corpora (exposita) sunt aliena mutationibus ab isto morbo allatis, et etiam quò magis subitò eveniunt istæ mutationes.

2.° Quò magis exteriora erunt, et ad peripheriam corporis sese continebunt phœnomena contagio producta, eò minus periculum sequendum erit ; (attamen *potentia contagiosa* miasmatis, v. g. scabiosi, etc., hanc legem non semper tenet); et vice versâ, eò majorem perniciem prænuntiant, quò magis sunt interiora.

3.° Regiones, ubi tempestates ordinariè sunt magis distinctæ firmiùs que stabilitæ, et quarum atmosphæra mutationes rariores experitur, in majore numero contagiosas affectiones præsentant, quia minima vicissitudo in temperie, præsertim subitò superveniens, ibi penitùs afficit corpora animata, quæ aliundè eidem aëri, et imò pluribus aliis iisdem sex rebus non-naturalibus subjiciuntur.

4.° Contagium energiam majorem habet prout robustos homines attingit, per tempora multùm expressa regnat, aut locos naturâ et consuetè ei oppositos grassatur ; et etiam, si in his plagis sese ostendit, in advenas magis sævire videtur, eò quòd istorum corpora impressionem ac perturbationem à statu ordi-

nario nimis discrepantem subeant. (De vehementiâ tantùm, non verò de contagii frequentiâ inter alienigenas hìc agitur).

5.° Esset-ne adhuc contagium fortius prout morbus super glandulosum systema sese exerceret ? Utcunque se habeat res, tantùm observabitur, 1.° infantes, in quibus glandulæ ubique turgidæ sunt et frequenter exercentur, maximo contagiosorum morborum numero esse obnoxios ; 2.° affectionibus, quæ apud adultos contagiosæ considerantur, potissimè glandulas fatigari ; 3.° tandem, senes, quorum systema glandulosum patefacit decrescentiam de die in diem crescentem, morbis communicabilibus haud facilè corripi ; aut si casus dantur, ubi contagium nemini parcat, animadversioni offerri debet periculum ejus esse in ratione versâ ætatis et etiam sedis glandularum, versùs interiora plùs vel minùs profundè positarum. . . . . Sed sentio suprà dictas assertiones ad alias commentario subsequenti directè proprias conducere. Quamobrem, introductione meâ hìc absolutâ, fortassè expedit denuntiare primam mei laboris delineationem, velut simplex ac coarctatum tentamen, susceptam fuisse ex occasione notitiæ quæstionibus à celeb. colleg. medico Berolinensi propositis de febre flavâ sat con-

Occasio et forma istius operis.

sentaneæ, et in diario quodam gallico antè quartum annum insertæ (*g*) : sed simul admoneo, ab hoc eodem tempore tantùm adauctam fuisse, ut præsens opus primi mei scripti solam formam conservârit. Idcircò, quamvis inchoans et fermè distributum, sicut anteà, sese præbeat, attamen considerari poterit tanquàm descriptio extensa conditionum pro suscipiendâ contagione necessariarum, et quarum successiva explanatio, in gratiâ earum momenti, veniam meam obtinebit pro variis digressibus quos in operæ cursû interdùm mihi permittam.

Si quid recti in lineis meis percipitur, aliquantulum meæ praxi, plurimum verò gallorum, latinorum, italorum et anglorum auctorum evolutioni id debetur . . . Quapropter, et ut iidem advenæ aut regnicolæ medici gratitudinis meæ et conaminum meorum testes fierent, in idiomate latino, cujus ope communiter utitur respublica medico-litteraria, scribere decrevi.

Tandem, supponendo meam operam utilitatis cujuspiam capacem (*h*), hic successus

(*g*) Bulletin de l'Europe, 1805, n.° 88.

(*h*) Jàm inclitum sanitatis collegium Berolinense indulgenter declaravit in meâ dissertatione *pluria momentosa proposita contineri.*

animum meum eriget ut posteà in lucem prodeant duo alia commentaria, huic præsenti naturaliter connexa, quorum unum symptomatologiam et alterum Therapeiam contagii continebit, et pro quibus jàm apud me existunt rerum copia et argumentationum materia.

DE ÆTIOLOGIA GENERALI

CONTAGII.

« I. Potest-ne positivis factis probari » pestilentialia febris flavæ miasmata substantiæ cuiquam animatæ, sine suæ malignitatis decremento, adhærere, et substantias illis imbutas ad actionem super homines benè valentes, et sic ad epidemiæ propagationem aptas fieri (1)? » Quæstionis expositio.

(1) Ut diluatur objectio cur alteri magis extensæ quæstioni à celebri Collegio Medico Berolinensi de hâc re propositæ non laborem meum accommodaverim, mihi fortassè expediet communicatio rationum quibus illius susceptionem confirmabam in epistolâ clarissimis istius Collegii Consortibus inscriptâ, et ubi sequentia legebantur : « Cùm » Thematis de febre flavâ à vobis (D. D.) ad solutionem » oblati notitia enucleata per Diarium medicinæ Parisiense ad me pervenit, jam de unâ analogâ quæstione per aliam chartam publicam . . . . . à duobus » circiter mensibus edoctus eram : jàm istius posterioris » argumenti tractatum decreveram; jàm denique dissertationis meæ singula membra enumeraveram. Itaque » postulati vestri, Illustrissimi Viri, ultimò et benè ex-

Ità ponitur quæstio ad enodationem exhibita, et cujus evolutio multis successivis et fortè momentosis disquisitionibus necessariò ansam dabit : sed pro ejus elucidatione, si quæ per me esse possit, in quasdam prolusorias expositiones ingredi debeo.

Ejus extensio et divisio.

II. Et statim, forsitan utile est observationi offerre primum quæstionis membrum in seipso et individualiter consideratum ad entia in classi *animalium* propriè dictorum comprehensa tantùm attinens videndum esse. Nam epithetum *animatæ*, quod vocem *substantiæ* comitatur, im suâ vulgari significatione auditum, solùm de entibus facultate *locomobili* præditis acturum fore propemodùm indicaret. Attamen, ex secundo ejusdem quæstionis membro liquet non solis animalibus, sed etiam omnibus entibus generaliter *organicis* (1) dictis primi membri applicationem

» plicati informatio meum inceptum deflectere debebat.
» . . . Verùm, considerans sine novâ observandi et ex-
» perimenta directa tentandi occasione enodationem sa-
» tisfacientem pro singulis Vestri Thematis partibus per-
» difficillimam esse, et reputans plerosque ejus articulos
» tanquàm in meâ quæstione generaliter inclusos ani-
» madverti posse, opus meum secundùm primam formam
» inchoatum persecutus sum, etc., etc. »

(1) *Reil* : Sulla forza vitale. *Vid.* Commentarii medici dei S. S. *Brugnateli* è *Brèra*, t. 1. p. 15. = *Millin* : élémens d'Histoire Naturelle, p. 4. 79.

desiderari. Saltem istius extensionis idea mihi suggeritur ex attentione quâcum sola vox *substantiæ* adhibetur, quandò utilitas primi membri quæstionis ad *homines* intenditur et dirigitur. Itaque huic intentioni conformis esse cupidus, de influentiâ quam in speciem humanam exercere possunt miasmata morbifica ac contagiosa super omne ens organicum deposita, pauca dicam; sed longiùs de effectibus quos corpora nostra animata recipere possunt ex iisdem miasmatibus pestilentialibus in aliquot eorum irreptantibus, pluria proferam.

Primum Quæstionis Membrum.

Febris flava et pestis orientalis ad eamdem morborum classem pertinent.

III. Quamvis ad constituendam febrim flavam pro febri *sui generis* nonnulli Scriptores operam dederint, mihi tamen liceat in generali febrium maligno-contagiosarum classe illam includere, probareque eam esse veram febrem biliosam malæ indolis et ordinariè complicatam ictero, qui, ait Coüs Senex (1), finem imponit febri (biliosæ), quandò cum frigore et septimum antè diem evenit; qui autem perniciem indicat, cùm *sine frigore*, etsi

(1) Œuvres méd. d'Hippocrate, trad. par *Gardeil*, t. 1, p. 228.

in tempore conveniente, apparet. Ad hujus rei confirmationem, inter Typhum Icterodem et aliam febrem contagiosissimam, v. g. pestem orientalem, quæ sint affinitates proximæ, mox constituam et ostendam.

Nàm utraque affectio proximas affinitates observat.

IV. Tantummodò una ab alterâ distinguitur utraque pestilentialis affectio per præsentiam unius symptomatis quod, licèt frequens, non semper autem locum habens, eo ipso quamdam varietatem solùm inducit. Itaque, assimilatio inter pestem orientalem et febrem flavam necessariò datur, eò quod unicuique ferè absoluta adsit causarum, circumstantiarum, sedis, symptomatum, et curationis identitas.

Quod probatur.

V. Reapsè (1), consensio penè stricta temporum et locorum in quibus sævire assuescunt pestis et febris icterodes, — conformitas plùs minùs-ve perfecta mutationum in corporis habitu (2) apparentium, quandò una

(1) Hic sanè utilis foret repetitio dictorum celeb. *Finkii*: « Magnitudines vel accidentia rerum naturas non mutant, » neque genera sed species sistunt. » De morb. biliosis, p. 30. = Et aliundè sic fatur idem auctor : « Cùm homi- » nes simus, non omnes relationes statimintelligentes ne- » que in rerum naturâ vix alia exstet morbi anomalia, nisi » habitâ ratione ad intellectum humanum. » *Ibid.* p. 98.

(2) In suorum symptomatum compage et relatione periodus invasionis sive statûs nervosi, tùm pestis tùm febris flavæ, nihil diversi affert.

aut

aut altera invadit, — Æqualis scorbuti influxus (1) uniuscujusque apparitioni contrarius, — Analogia febrilium affectionum quæ sæpè præcedunt aut sequuntur utramque (2), — Irregularitas propemodùm eadem intervalli invasionem eorum inter et solutionem, — Omnium earum symptomatum similis anomalia, — Periculi paritas incurrendi in utroque morbo secundùm progressûs rapiditatem, æquè ac secundùm celeritatem quâcum primum utriusque ægritudinis stadium diarrhæâ spontaneâ (3) occupatur, — Sudorum utilitas in uniuscujusque principio, — Cutanea *turgescentia* utrique superveniens, dùm primum finitur stadium, — Cutis insensibilitas prout

---

(1) Vid. *Pugnet*, mal. insid. du Levant et des Antilles, p. 346. = *V.* mes observations et réflexions sur le Scorbut, p. 24. = In hoc tamen à mea sententia dissentit medicus *Le Blond* qui inter febrem flavam et scorbutum affinitates agnoscit. *Journ. de méd. par Sédillot*, t. 24, p. 182.

(2) *G. Orræus,* Descriptio pestis in Jassia et Moscua, etc. 1784. = *Schotte*, de la fièvre, etc. du Sénégal, etc. = Ægyptiaca pestis plerumque dyssenteriæ succedit; et *D.r Saunders*, in epistolâ de Orientalibus Indiis, nos edocet inter febres biliosas, flavas, intermittentes duplicationi obnoxias, et inter sanguineos fluxus relationem et consensionem observari, hasque omnes affectiones eodem tempore grassari, aut sæpè ex unâ in alteram degeneres fieri. *V.* Gazette salut. 1785, n.o X.

(3) *Linning*. Essays physical and literary; *Edimburg*, t. 2, p. 404, etc.

utraque affectio progreditur, — Inutilitas cujuslibet curationis, quandò cutaneum organum ad quemdam gradum inertiæ, insensibilitatis, ariditatis (1) et mortis (2) advenit, — Infarctus systematis biliaris, qui tùm in peste cùm in febre flavâ persæpè prodit (3), — Biliosi (4), æruginosi, poracei vomitus aliquandò in priore (5) sese declarantes, — Eruptiones petechiales, carbunculosæ (6) vel glandulosæ pariter in posteriore (7) sub-

---

(1) *Chaufessié* : V. *Brera*, Sylloge opusc, etc. t. 4, p. 67.

(2) *Pugnet*, op. cit. p. 366.

(3) Pietro *Rubini*, Rifflessioni sulle febbre gialle, etc. p. 82.

(4) Biliosa pestis à *Parisio* admissa (*journ. de médec.* 1784, vol. LXI, p. 352.) et quæ vomitibus bilis viridis, cardialgiâ, colore oculorum subflavo, raró cum bubonibus, frequenter cum carbunculis, et interdùm cute extraordinariè molli, *flavescente* et cadaverosâ aderat stipata, non-ne foret intermedia pestem orientalem cum febre flavâ, et etiam cum febre putrido-malignâ à D. *Kirby* delineatâ (p. 9.) connectens? = Pestis quæ, anno 1723, Olyssiponem grassabatur, pro symptomate peculiari et proprio nigros vomitus exhibebat, dùm Massiliensis pestis 1720 parcâ epistaxi sæpissimè comitata existebat. (*Hist. de la Soc. Roy. de médecine*, 1780-81, p. 215.)

(5) *Pugnet*, op. cit. p. 126, 128.

(6) *Linning*, op. cit. *Pugnet*, ibid, p. 384.

(7) *Gilbert, hist. méd. de l'armée franc. à St.-Domingue, etc.* p. 73. Hîc notandum est Ægyptiacam pestem

indè sese ostendentes (XXII), — Eadem acerbitas, idem propagationis et communicationis modus, sicut et natura curationis frequentissimè utilis, et fermè in utroque morbo strictè similis, — Deniquè, generalis proclivitas quam sanguis in febre pestilentiali (1) æquè ac in febre flavâ ad sese convertendum in bilem, et ad sese dirigendum versùs hepar (2) manifestat, — Omnia hæc inter utramque directas analogias et maximè proximas affinitates indicant; omnia etiam designant ab utrâque non offerri nisi formas parùm *essentiales*, punctum autem contactûs intermedium potiùs exhibentes, nullamque dari varietatem, nisi per quædam symptomata, simpli-

---

non magis quàm febrem flavam constantibus et univocis caracteribus designari. Vid. *Manget*, bibl. med. pract. t. 4, p. 68. = *Sarcone, histoire, etc. des maladies de Naples, trad. par Bellay, t.* 1, *p.* 35.

(1) *Villars, observ. de médecine, p.* 32.

(2) Si humores faciliùs et frequentiùs in febre icterode luteolum colerum ostendunt, id ex eo evenit quòd hic morbus in biliosis constitutionibus et circumstantiis diathesim biliosam juvantibus (v. g. æstivis caloribus, regimine calefaciente, etc.) locum habet. = Sæpiùs in hâc febre, quàm in peste orientali, occurrunt epistaxes. Hoc accidentale symptoma nasci videtur ex colluvie aut infarctu in biliari systemate, cujus talis conditio repulsionem sanguinis versùs superiora necessariam efficit, præstereàque æquilibritatem inter bilem et sanguinem in statu sano existendam interrumpit.

citer accidentalia, et quorum præsentia, eorumdem morborum existentiæ haud planè necessaria (1), considerari debet tanquàm effectus

---

Adsunt plurimi morbi putridi in quibus febris flavæ symptomata videntur.

(1) *Chaufessié*. V. *Brera*, l. c. p. 38, 69. = Hic perutile mihi videtur exponere quædam exempla ex classe putridorum, epidemicorum, contagiosorum morborum sumpta et in quibus *vomitus æruginosi*, *flavi* vel *icterus* aliquandò apparuerunt. Ex *Turnbull* constat in epidemicâ febre, quæ naturam bilioso-putridam et malignam induebat, minùsque crudeliter Constantinopolim, ubi indolis intermittentium regularium particeps erat, quàm Smyrnam, ubi erat remittens, devastabat, in hoc posteriore loco in continuam sese convertisse, cùm naturæ curis derelinquebatur. . . . et propè 5.am diem an 6.am quosdam ægros factos fuisse *ictericos* . . . . ; quæ conversio malum erat signum, æquè ac vermium evacuatio et febris invasio bilis viridis vomitibus stipata. (*Gazette salutaire*. 1785, n.° X.) = In insulâ Curaçao *Rouppius* vidit nautas, febribus putridis correptos, fuisse plerosque subjectos *sanguinis nigricantis vomitibus* et quosdam oculorum ictero (*de morb. navig. p.* 305, 307.) = In febri putridâ ab *Homio* (*princip. méd. p.* 81.) delineatâ, et in febri criticâ à Rouppio descriptâ (*l. c. p.* 289.) pariter observatæ fuerunt biliosæ ac nigræ vomitiones. = Affectio febrilis putrida quæ in Bohemiâ, annis 1771, 1772, immaniter sæviit et cujus historia habetur apud Vinceslam Joannem de *Langsvert*, (*Hist, med. morbi epidemici, etc.* 1776. *p.* 18, 59.) perplures vices cutaneâ flavedine complicata fuit. = Apud *Morgagny* (*de sed. et causis, etc. in-folio, Patav.* 1765, t. 1, *p.* 68) legitur infans quinque mensibus natus, febre cum diarrhæâ ægrotans, ad tertium diem convulsionibus inferiorum extremitatum correptus, iisdem motibus clonicis 5.a die minus fatigatus (nàm solùm per intervalla in vigiliâ et nulliter in somno) et tunc *ictero* fœdatus. = *Strachius* in petechiali affectione *icterum*

nonnullarum circumstantiarum localium (præsertìm ex atmosphæræ et regionis conditione, systematisque abdominalis statu exorientium), quarum tempestiva cum aliis morbidis causis

---

sæpè adnotavit. (De morbo cum petech. 1796, p. 145.) = A *Van-et-Saker* refertur (Vid. *Schlegel*, Thesaur. Pathol. Therap. vol. 1, p. 351, 365, 389.) visos etiam fuisse *icteros* generales vel particulares, aut *biliosos vomitus* aut alios ex alvo æruginosos et pariter biliosos fluxus in febre remittente bilioso-putrido-epidemicâ quæ Antuerpiam, anno 1772, occupavit. = Morbus mucoso-epidemicus *Waglerii* versùs Martium et Aprilem (per quos menses hæc conversio satis frequens erat) in *icterum localem aut universalem* sese transmutabat (de morbo mucoso, p. 26, 83.) = In Syberiâ sæpè declaratur morbus pestilentialis bestiis ac hominibus communis et per suffusionem bilis in variâ corporis parte patefaciens (*Took*, *histoire de Russie, t.* 3 . *p.* 164.) = Parisiis et anni 1781 Novembre, febres tertianæ, duplicatæ tertianæ potius advenam quàm civem afficientes, et interdùm *ictero* complicatæ, fuerunt observatæ. Hæc flavedo cutanea morbos in mensibus Martio, Aprili, Junio, Julio, Augusto et Septembri supervenientes subindè comitavit (V. *gazette de santé* 1782, n°. I.). Denique in historiâ febris, quæ Genuam epidemicè afflixit, Medicus *Rasori* præbet quædam exempla flavedinis particularis in oculorum albugineâ vel generalis in cute (Historia della febbre epidemica di Genova nell. anni 1799, 1800, p. 18.) = Ex istis Auctorum observatis, concludi, vel saltem præsumi potest, icterum qui in febre flavâ supervenit, tantùm ejus metaptosim symptomaticam vel consensualem esse, id est, formam quamdam vel modificationem istius affectionis, quæ fortasse ex hac modificatione contagiosior evadit. (*Lorry*, de conversione et mutat. morbor. p. 206.)

junctio eadem symptomata, usque ad hanc diem pro propriis febri flavæ habita, producere valeret. Deniquè, febris icterodes à peste non differt, nisi quia prodit sub quâdam temperie atmosphæricâ *æqualiter* calidâ et humidâ (1), dùm ejus congener morbus (pestis) in regionibus ac tempestatibus magis calidis, aut etiam magis frigidis (2) quàm humidis (3) oritur. Discutiatur ista ultima relatio consentanea calorem inter et humiditatem, ita ut

---

(1) *Gilbert*, l. c. p. 26. = Febris flava quæ *Malacam* nupèr oppressit, satis in lucem attulit non ei necesse fuisse, pro ejus productione, versari sub influxu maximi caloris, sicut cogitabat *Makittrick* (*Baldinger, Sylloge*, etc. vol. 1, p. 96) qui proindè possibilitatem istius morbi in Europâ non admittebat. Hujus exceptionis idea tàm parùm accipi debet, ut in temporibus aut locis temperatis, cùm humiditas, anteà aut nimia aut parcior, caloris gradui magis consentaneo copulatur, in morbis regnantibus *icterus* adducatur. Hoc saltem evenit visibiliter in morbo mucoso *Waglerii* et aliis morbis de quibus in notâ præcedenti (pag. 20.) aliquid jam dixi.

(2) Aër frigidus humidus sæpè contagii malignitatem auget. *Lind*. V. *Comment. de Rebus, etc. t*. XXII, *p*. 344.

(3) Post observationes et computationes à *Kirwano* traditas constat mediam temperiem annuam esse fermè eamdem in Magno Cairo et in Insulâ Sanctâ Dominicâ, quamvis utraque regio sub diversâ latitudine jaceat. (V. *Estimation de la température des différens degrés de latitude*, *trad. de l'anglais*, *p*. 180.) Sed eodem tempore annotandum est majorem humiditatem esse in posteriore quàm in priore loco.

prior in ipsismet locis, quos sæpè visitat et depopulatur pestis, posteriori minùs dominetur, et tunc febris flava caput attollere capax erit. Ità res evenit occasione obsidionis *Magni Cairi* (anno 1800, et imperante magnanimo ac infelice *Klebero*) à Gallis copiis confectæ, et post quam, earum vulnerati, satis numerosi, omnes plus minùs-ve mutilati, aërique cubiculorum depressorum graviter æstuanti putridam humiditatem è largis eorum plagis in vapores abeuntem (1) addentes, nonnullos veros flavæ febris insultus exhibuerunt (2). Sub temperie certam caloris et humiditatis proportionem possidente, idem præstatur quod in plagis calidis per Autumnum accidit, habitâ ratione aliarum tempestatum; scilicet, hepaticum systema in una aut altera circumstantia magis irritabile fit quàm in Hyeme, et Æstate, aut sub temperie calidiore ac sicciore (3). Jàm ex *Huxamio* constabat,

Differentia pestis et febris flavæ provenit ex certo gradu caloris aut frigoris cum humiditate.

(1) Sub temperie humidâ exhalationes vix sursùm attolluntur et difficulter extenduntur in atmosphærâ. Id probatur ex eo quod, per tempora pluviosa ac dies humidos, odores lentiùs sese evanescunt; indè corporibus circumjacentibus faciliùs et diutiùs adhærent, et eis commodiùs communicant qualitates substantiarum è quibus exeunt. (*Godard, sur les antiseptiques, Acad de Dijon, p.* 337.

(2) V. *Larrey, Relation historique et chirurgicale de l'expédition de l'armée d'Orient.*

(3) *Saunders, Traité du foie, p.* 107.

si aër, æstivo tempore, humidus et tranquillus adest, si flat ventus Australis, atque per aliquot menses talis permanet, icterum frequentissimè invadere (1). Juxtà eumdem Observatorem, ex atmosphæricâ humiditate diù dominante, et simùl flante vento Meridiano, etsi in frigidis temporibus, facilis est et frequens auriginis apparitio; et reapsè, iste Medicus plures ictericos casus, unà cum tumoribus glandulosis atque febribus catharralibus (2) in suâ praxi curavit.

Atmosphæra æquè calida ac humida febri flavæ et aliis biliosis febribus favet.

VI. Fortè *Stollii* qui in hyeme quâdam haud paucos icteros vidit (3) mihi opponetur auctoritas; verùm hanc objectionem facilè dilueret qui animadverteret observationes celebris istius Medici factas fuisse in nosocomiis ubi aër sese præbens calidus et humidus, non secùs ac atmosphæra in Veris et Autumni æquinoctiis, influere et agere valet. Præterea, ipsemet Clariss. Auctor synochas quasdam mensis Augusti putridas, in suâ tertiâ periodo, particulari oculorum ictero complicatas attendit (4). De reliquo, complexio,

(1) De aëre, etc., Pars prima, p. 48.

(2) Oper. cit. vol. 1. p. 127, 129, 135, 139. = Vol. 2. præfat. p. VIII. 31. 37.

(3) Rat. Med. edit. Ticinensis. t. IV. p. 58.

(4) *Stoll. ibid.* p. 72.

in certo gradu, caloris cum humiditate atmosphæræ affectionum biliosarum genesi adeò favet ut, mense Aprili 1792, cùm calores pro isto tempore incommodissimè lacessebant, sæpèque simul diebus aliquot procellosis ac frigidis intermisti sese dabant, populares morbi biliosam indolem participarent, et indè ægrotantium vultus et oculi flavescentes, urinæ croceæ, sputa lutea et alvi egestiones etiam biliosæ sese ostenderent : imò, leves icteri nonnulli in eodem mense pariter extiterunt (1) : tandem, dejectiones et vomitiones bile viridi imbutæ, aut choleræ-morbi aut icteri, constitutionis quæ æstatem ejusdem anni humidam occupavit, typum formârunt (2).

Sed præter aërem *proportionaliter* calidum et humidum, requiritur etiam regiminis anterioris vitium.

VII. Cùm verò febris icterodes (accidentaliter, ut suprà dictum est, vulnera complicans) assurgebat inter Gallos et alios turbarum Ægyptiacarum milites, qui, ut dicti *Mamelouks*, antè suam sauciorum conditionem, calidum regimen tenuerant, spirituosis liquoribus indulserant, aut salsis cibis (3) addicti fuerant, — Cùm aliundè in Orientalibus Indiis

(1) Journ. de Méd. t. XCII. p. 186. 189.

(2) Journ. de Méd. *ibid.* p. 380. 390.

(3) *Schotte*, op. cit. = *V.* Gazette de santé, 1783, n.° 14.

regnare videtur præcipuè inter Europæos, quorum non ignoratur stimulans degendi modus, sicut et consuetudo ac opinio in debilitante effectu calidi climatis (ut primùm illud attingunt), potuum excitantium usum refrænando, præsertim quandò sine morâ nec quiete ad actuosam, mobilem et laboriosam vitam ex invito otio transire coguntur (1); — Cùm adhuc Indiarum earumdem indigenæ non sunt istius morbi immunes nisi apertam alvum servando, potus aquosos copiosè hauriendo, ac in muliebri amore moderationem adhibendo (2); — Cùm tandem adnotatum fuit, 1.° incolas harum regionum aut etiam Nigritas, cibis per assuetudinem vel per intrinsecam qualitatem minùs calefacientibus additos, non tàm ab istâ febre, quàm Europæos, fuisse laboratos, et 2.° ferè omnes istorum, qui in vini et cafeæ usu nonnihil cauti erant, eâdem ægritudine raró vel levi modo affectos fuisse (3); non-ne rationi consentaneum est admittere, præter influentiam et conditionem temperiei atmosphæricæ suprà designatæ, ad febrim flavam produ-

(1) *Bertin*. Voy. *Retz*, précis sur les malad. épidém. p. 221. 224.

(2) *Rouppe*, de morb. navig. p. 29.

(3) *Schotte*, op. cit. p. 134.

cendam adhuc necessarium esse, ut apud expositos existat quidam gradus irritationis constantis, et mediante regimine calido antè et usque ad hanc horam tento, super organa digestiva atque biliare systema constitutæ ?

Cur in Indiis Europæus febri flavæ magis fit obnoxius ?

VIII. Jàm Clar. *Saunders* observationi præbuit qualitatem ac quantitatem bilis (LXXX) adesse in ratione partis rubræ in sanguine abundantis (1) : ego quoque addam eas adhuc existere in proportione cum ejusdem fluidi intrinseco statu. Quo posito, Europæus magis sanguineus quàm Indiarum incola, in istius autem regionem ferventem adveniens, jàm aptitudinem, ut non tantùm bilis, verùm etiam sanguinis turgescens acquiratur accretio, secum et in se possidet (præsertim si, ut assolet, calefacienti vitæ modo indulget), dùm apud Indum sola augeri valet bilis, cujus insuper vis stimulans, ut jàm dixi, per aquosas et copiosas potiones minuitur. Itaque, in Europæo adest duplex irritatio in ejus humoribus aucta, cujusque effectus versùs et super biliare ac digestivum systema naturaliter sese expandit. Re ità se habente, cur negaretur impressionis epidemicæ et contagiosæ super partes quasdam, jàm priùs excitatas, directio et actio ? Et

(1) Traité du foie, p. 93. 95.

deinceps, cur ex hac naturali irritatione adauctâ non produci posset icterus, ad cujus formationem, et sine epidemiæ ac contagii influxu, abusus spirituosorum liquorum solus sufficeret (1) ? Fateamur igitur in fervidis climatibus febrilia et contagiosa miasmata actionis cujuslibet directæ et evidentis in solidas ac fluidas systematis hepatici partes maximè esse capacia. Cæterùm, hæc dispositio aut potentia ad inducendam affectionem exitialem super organum jàm primitùs infirmum, febris flavæ non exclusoriè proprium adest. Nam variolosæ febres catarrhales morbosâ faucium læsione, cui antè et à primis annis ex intervallo obnoxii erant ægroti , sese complicare queunt ; et etiam prægnantes mulieres, febribus putridis correptæ, hæmorragiis uteri haud raró funestis interdùm exercentur (2). Apud *Waglerium* hæc anterior morbida opportunitas in abdominis visceribus, jecinore inprimis, morbi mucoso-epidemici productioni pariter necessaria indicatur (3). Idem Auctor in alio loco (4)

---

(1) *Saunders*. Traité du foie, p. 145. = *Huxam*, de aëre, etc. vol. 1. p. 142.

(2) *Roussel*, Recherches sur la pet. vérole. 1781, p. 28.

(3) De morbo mucoso, p. 41.

(4) *Ibid*. p. 239.

asserit febres intermittentes hæpaticâ dissolutione implicatas in alios morbos, v. g., in febrem mucosam, vertiginosam, etc. transmutari posse, et hâc occasione in istorum affectuum secundariorum symptomatibus aliquid intermittentis præbere. Non-ne hæc morbosa conversio sub climatis calidi actione occurrere, et simul biliosæ febri plus minusve continuæ ansam dare potuisset, præcipuè post excessus in victu, per quos gravis aër, humidis et corruptis vaporibus saturatus, pessimos effectus edit, et reapsè, præcedente ebrietate aut aliâ intemperantiæ specie, febrim in 48 horis letalem adduci observatum fuit (1)? Apud ægros quorum levissimi affectus in malignos facilè sese convertunt, speciatìm si in nosodochio propè paludem posito acervatìm congregantur, hæc influentia adhuc pejus agit. Etenim, ex hâc ultimâ circumstantiâ, Antillarum morbi febrem flavam appellitant ac induunt (2).

Invasio pestis constituitur ex irritatione habituali et antecedente in cute,

IX. Quod autem, pro febre ictericâ inducendâ, valet antecedens systematis biliaris excitatio, idem quoque, ad pestem Orientalem pariendam, efficit organi cutanei exercita-

---

(1) Vid. *Lind.* loc. cit. = Gazette salut. 1786. n.° XXIII. = *Wanswieten*, commentaria, etc. t. III. p. 83.

(2) De hâc re consulatur *Rubinius*, op. cit. p. 93.

cujus energia diathesim biliosam refrænat, sed cujus, vice versâ, asthenia constans effectum calidi regiminis, idest, abdominalium viscerum affectionem permittit.

mentum. Itaque, ut de hac re pauca verba statuantur, generaliter asserere fas est actionem alterutrius organi productioni aut pestis aut typhi icterodes plurimùm inservire. Hoc enunciatum clariùs evadet sequenti elucidatione, et quâ admissâ, suspicari dabitur causa cur morbus unus præ altero morbo assurgit. Systema abdominale et systema cutaneum eodem tempore et reciprociter sese afficiunt et inter se repugnant : nimia in priore energia minorem energiam admittit in posteriore, cujus consequentèr ulterior excitatio vim prioris infringit aut moderat. Igitur, ex isto generali et mutuo utriusque systematis statu, morbidæ non paucæ circumstantiæ sphæram suæ virtutis et actionis deducunt. Hoc quoque modo, calor fervidi climatis siccus super cutem continuò sese exercens, in eâ permittere potest constitutionem catharralium affectionum quæ contagiosæ fieri queunt, non secùs ac biliosæ ægritudines quas eædem circumstantiæ prodire sinunt, cùm istarum impressio, per irritationis anterioris statum provocata, versùs biliaria aut alia analoga organa sese dirigit et in eis adhærescit. Attamen, quamvis hæc directio, in abdominalia viscera, cujuslibet effectûs constanter capax sese præbeat, interdùm modificationi, emendationi aut etiam annihilationi obnoxia sese

Cur Ægyptios pestis febre flavâ frequentior invadit?

offerre valet : et hoc fit, quandò cutaneum organum in statu energiæ, calore aëris continuo allatæ, sese ostendit, quandòque hac ratione diathesim biliosam inertiâ et silentio adigit. Res ita se habet apud Ægyptios, qui noctu diuque tabaccum vel coffeam hauriunt, quorum verò cutis sicca et contracta minuit et refrænat effectum spasmi qui, ob regimen non interruptè ab eis servatum, ad sese dirigendum versùs abdominale systema biliare tenderet : quamobrem non flavæ febri sed pesti generaliter exponuntur. Hæc posterior affectio præ alterâ inter Nilicolas grassatur, quia cutis eorum, sub torridâ latitudine quotidiè exercitata, majorem asthæniæ proclivitatem indè affert. (Deinceps probabitur istius circumstantiæ necessitas pro miasmatum contagiosorum actione et progressu.) Si autem, sub *mollis* atmosphæræ influxu, cutaneum systema se relaxat, simul atque biliare systema regiminis extrà modum stimulantis actionem subit, tunc miasmatum novorum actio istud posterius petit et ei inhæret; hinc tandèm exoritur icterodes febris, aut saltem ad illam suscipiendam *opportunitas*.

Probatur quod anteà (VII) dicitur.

X. De eodem argumento, quo super febre flavâ actum fuit (VII), progrediens, inquirere debeo utrùm in singulis regionibus, quas vexat aut vexabit luteus iste morbus, spiri-

tuosorum potuum ac calefacientium alimentorum usus non sit assuetissimus. Res enim ità haberi videtur ; saltem , in Insulis Caribæis vinorum defectum in unâquâque familiâ, et etiam apud gentem communissimam , supplent aqua vitæ atque alii liquores dicti *Rhum*, *Rack*, *Wiski*, *etc.*, et potus non levis nec parcus coffeæ. In pluribus locis septentrionalis Americæ (ubi duos annos consumpsi) et Indiarum, poculum *Punch* nominatum, fermè merum , vinaque exotica et strenua, in unâquâque mensâ, in singulis locis et in omni gaudii occasione, largè administrantur; et quandiù nil manducatur nec bibitur , in tabaci fumo ac sapore delectatio per totam diem instituitur. Generaliter , in portubus frequentiâ navium maximè celebratis , nautæ simul et incolæ inter se communicantes et agentes , aquâ fermè abhorrent ; verùm juniperi granorum, etc. spiritu potiùs siccantur quàm humectantur . . . Alimenta eorum , videlicet , salitæ carnes , suilla larida , biscoctus panis , pisces muriâ conditi , etc., æquè ac potus , valdè irritant. Insupèr , quam ob causam pleræque in Europâ maritimæ civitates nonnullos flavæ aut saltem alterius analogæ febris casus ex intervallo præbuerunt ? Nantici in earum angiportis , sæpissimè haud perviis, aut præsertìm in suis navibus coacervati cum humido

humido et calido aëre immoderatum potum atque pastum consociant (1). In contrario sensu addi potest omnes, regimini temperato additos, generatim febre flavâ evasisse; et hæc est ratio propter quam in terris Europæ hyperboreæ profundis, difficilis ac rara istius morbi fiet apparitio. Præthereà argumentum ex irritatione versùs hepar aut vicinum aliud organum constitutâ et ad promotionem typhi icterodes ferè necessariâ depromptum, per utilem clysterum adhibitionem etiam confortatur. De istis enim alvinis injectionibus per anum confectis, et quorum effectus emolliunt et relaxant, infarctum distendunt, obstructionem dividunt et tandem dissipant, Celeb. *Carrey* (2) observavit Gallos, quibus erant assuetæ, febre ictericâ parùm aflictos fuisse.

A contàgiosâ distingui debet febris flava epidemica.

XI. Probabiliter verò, non semper requiritur idem hepaticæ irritationis gradus: et istius rei explicandæ gratiâ; distingui debet febris flava producta ex actione rerum non naturalium ab illâ quæ mutuo hominum influxu exoritur. Prior solùm *epidemica* est, et

---

(1) Jam petierat *Huxamius* an epidemiarum in nautas atque milites graviter sævientium insultus *pravo victui et pessimæ spirituum ardentium ingluviei* vim suam non deberent. De aëre, etc., vol. 2. p. 150.

(2) Descrizione della Febbre Gialla di *Matteo Carey*, trad. dall. inglese. p. 74.

posterior velut *contagiosa* strictè considerari potest (1). Istius (contagiosæ) formationi minor procul dubio in organis digestivis et biliariis necessaria fit irritatio; sed hanc minorem irritationem supplent numerosæ affinitates quibus reciprocè colliguntur et inter se consentiunt oppidani vel membra cujuslibet familiæ, et quarum defectu non sese explicaret contagium. Prior, sive *epidemica*, febris flava frequentior invadit insulas Caraïbas et Septentrionalem Americam ubi sobrietas non adest dominans virtus, et eas grassatur, minùs relationibus inter colonos et incolas, quàm sex rerum non-naturalium influxu producta. Posterior autem sese ostendere potest inter Europæos qui in aëre calido et humido jacere, et insuper cum exteris eam importantibus evidentes affinitates acquirere et exhibere supponuntur. Indè constat contagioni expositos tanquàm incurrentes et versantes sub analogis et iisdem primorum ægrotantium circumstantiis considerandos esse; et simul pariter inter infectos et infi-

(1) In dissertatione latinâ, et ab Academiâ regiâ Matritensi benevolè acceptâ, jàm constitui definitionem *differentialem* inter epidemicos et contagiosos morbos, ex quâ conclusi priores ab actione generali sex rerum non-naturalium, et posteriores ab hominum reciproco influxû pendere.

ciendos multas et reciprocas relationes exerceri, ita ut, unâ et alterâ conditione deficiente, nullum sanè inierit contagium. At, de *epidemicâ* adhuc præsens est quæstio, dùm alio loco infrà de *contagiosâ* agetur.

XII. Jam dixi (V) certam proportionem humiditatis cum calore in temperie atmosphæricâ productioni febris flavæ favere (1).

Probatur etiam quod jàm (V) fuit dictum de necessitate certæ

(1) Punctum fixum istius proportionis inter humiditatem et calorem, necessariæ aut saltèm accommodatæ ad febris flavæ apparitionem, inveniri posset præcipuè in statu *perfectè quieto* aëris, cujus reapsè talis conditio (frequentior in climatibus fervidis, et rarior in temperatis et frigidis) invasionem istius morbi faciliorem et graviorem probabiliter efficit (D.r *le Blond*. V. Journ. de Médecine, par *Sedillot*, t. XXIV. p. 182). De cætero, hoc idem punctum, pro unâquâque regione mutabile et varium, firmè statui et designari nequit, sed solam suppositionem aut conjecturam suffert, quia, ad illud stabiliendum immutabili modo, cognitiones nostræ nec certæ nec precisæ nec directæ adsunt. Imò, dici debet istud æquilibrium sub stricto sensu non esse audiendum. Nàm *absolutum* in naturâ vivente nullo modo datur: ast in ideis nostris solùmmodo existit. Aliundè, non tantùm pro typhode icterode, verùm etiam pro febribus aliis popularibus requiritur proportio sive relatio quædam humiditatis et caloris seu frigoris. Ideò præbetur observari hyemales epidemias non tàm sævire in frigido tempore, perquod aër non sat humidus est, quàm in mensibus intrà quos minuitur frigus, ac augetur humiditas; dùm pariter æstivæ epidemiæ in fervidâ tempestate nimii caloris influxionem subeuntes, ad sese exasperandas expectant Autumnum ubi major fit humiditas, et in relatione

proportionis inter calorem et humiditatem atmosphæræ pro febris flavæ productione.

Id etiam sequentibus observationibus demonstratur. 1.° Si fervidarum regionum, quas persæpè opprimit hic Typhodes, temperatura manifestè sicca fit, tunc istius morbi solutio carbunculis, parotidibus aut gangrenâ sese exhibet (1) : indè patefaciunt ejus approximatio et etiam transmutatio cum orientali peste (IV-V). 2.° Si in temperatis plagis caloris imminutio humiditatis incrementum permittit, ita ut istâ magis saturetur, tunc indolis biliosæ participes fiunt omnes morbi, et cum majori facilitate aut vehementiâ erumpit febris icterodes (2). 3.° De-

---

magis accommodatâ cum calore sese exhibet. In universùm, proportio quædam requisita caloris ac humiditatis ad generationem febrium popularium in Autumno occurrit, et indè, justè asserit D. *Raymondus* ex leni aëris temperie . . . . hanc anni tempestatem contagiis obnoxiorem reddi, et insuper, in austrinis vel borealibus temperatis constitutionibus, pluviosis vel non pluviosis, sed evidenter humidis, morbos *abdominales* frequentissimos prodire (Mém. de la soc. roy. de Médecine, 1780-81. p. 45. 58. 75).

(1) *Chaufessié*. V. *Bréra*, op. et loc. cit. p. 66.

(2) Vid. *Tomassini*, sulla Febbre di Livorno, etc. p. 363. = *Jaksonius* quoque asserit à frigido aëre et humido crescere febrem contagiosam flavam (Journ. de Médec. par *Corvisard*, etc. t. X. p. 316.). Itaque patet causam istius epidemiæ crudelis non quærendam esse in caloris excessu, siquidem in Goreâ insulâ, ubi *Schotte* febrim atrabilariam vidit, calor non observatus fuit magnus. Tandem in

nique, si, febre flavâ sæviente, magna intervenit humiditas, ita ut ex eâ constituatur conditio atmospheræ dominans, hæc mutatio in temperie ergà icterodes epidemiæ diminutionem sufficit; quod suadent Clar. *Bertii* (1) dicta quibus constat, ex levi pluviâ calorem aëris non decrescente, febrim luteam perniciosiorem prodiisse (quia sanè major humiditas calori non mutato sociabatur, undè æqualitas aut relatio magis consentanea inter has duas atmospheræ qualitates existebat), dùm è contrà imbres magni, auram refrigerantes, et hoc modo calorem opprimentes, contagiosam ejusdem constitutionis facultatem imminuebant. Si igitur scribebat eximius *Raymondus* nullos morbos in pluviarum tempore accidere et etiam regnantes evanescere (2), id de imbribus mollitiem ac quietem

---

nostris climatibus temperatis, icterus non notatur nisi epochis anni in quibus conjunctio adest *cujusdam quantitatis* humidi cum aëris statu calido, Vere scilicet et Autumno. (*Huxam*, de aëre, etc. vol. 2. p. XIV.).

(1) Précis historique de la maladie de l'Andalousie, p. 156. = Ex *Huxamio* (de aëre, etc. vol. 1. p. 117.) imbrium vehementium utilitas considerari potest quoad *aërem faciunt sicciorem, quatenùs vapores per atmospheram congestos deturbent*. Vid. *Hoffmam*. opera. t. 5. p. 782.

(2) Mémoires de la société royale de Médecine, 1780-81. p. 41.

aëris nimiam plus minùs-ve mutantibus tantummodò intelligendum est. Nàm, Favonio respirante, et simul malaciâ interdùm superveniente, atmosphera fit tepida, humida et nubila, sicque sese exhibet in fermè eâdem conditione quam maximis caloribus ei tribuunt tenues et breves pluviæ; ex quibus circumstantiis per menses Julium et Augustum 1730 visus fuit icterus febriculâ et nonnunquam gravi hæmorragiâ stipatus (1).

Absentia istius proportionis inter calorem et humiditatem, per prioris sub missionem in individuâ constitutione occurrens, febri flavæ obstat.

XIII. Anne in constitutione individuâ major invasioni morbi flavi oppositio deduci potest ex absentiâ certi equilibrii inter humiditatem et calorem (per istius posterioris submissionem) corporis ipsius-met humani? De hâc re, mentionem faciam indigenarum (apud calidas regiones) qui non sæpè febrim icterodem apprehendunt, et quorum reverà calor naturalis trium aut quatuor graduum (2)

---

(1) *Huxam*, op. cit. vol. 1. p. 47. 48. = *Clark*, on the diseases of long voyages to hot climates, p. 116. Annales de litt. méd. étrang. cahier XIV. p. 152. 159.

(2) *Titsing*, Observ. de insulâ Curaçaoâ, p. 381. = Calore presertìm in humoribus nostris aucto, nostra corpora in majori expansione sese exhibent. . . id est, tunc versantur in majoribus et propinquioribus relationibus cum sex rebus non-naturalibus, et imprimis cum aëre, cujus conditionem faciliùs participant, et deindè ex cessatione istius *expansivi* statûs, influxus novæ conditionis in ratione versâ oppositæ antecedentis semper existit.

minor est illo quem ostendunt advenæ supradictæ affectioni magis obnoxii. Verùm, hæc caloris differentia, et febris flavæ immunitas in iisdem incolis, sed à multo tempore patriam auram non agnoscentibus, desinere queunt : sìc enim positi, non secùs ac exteri sunt considerandi. Quamobrem, in tali occasione typhum icterodem experiri valent, cùm in suam natalem regionem adveniunt (1). Sub hoc respectu, morbi epidemici, Rupefortium frequenter grassantes, essent-ne febri flavæ analogi? Nàm solos advenas invadunt... climati assuefactis parcunt.... Et tandem post absentiam isti revertentes, insultibus epidemiæ, sicut primùm, proni occurrunt (2). Prætereà, eædem febres, quæ per Æstatem apparent, in febrem flavam absoluto modo fortassè sese converterent, si ægrotantes in suo regimine antecedente tot errores commisissent quot in Indiis occidentalibus committi solent.... Et fortè etiam hæc transmutatio illos redderet contagiosiores...! Nàm, quamvis D.r Retz (3) epidemias Rupefortii tanquàm contagio præditas non consideret, attamen recidivæ, quas frequentes ostendunt, ad

(1) *Brèra*, op. cit. t. 4. p. 88.

(2) Journ. de Méd. t. LXIII. p. 265.

(3) Maladies épidémiques, p. 71.

hanc idolem, saltem ergà exteros, eis concedendam incitarent (XXXIV, LXXXVI ad XCI).

Absentia ejusdem proportionis inter aëris calorem et humiditatem, *per augmentum prioris*, in corpore humano eamdem immunitatum affert.

XIV. Quod apud indigenas ex individuâ constitutione per calorem *in minùs* (XIII), idem ex diæteticis quibusdam circumstantiis per calorem *in plùs* præstatur. Non-ne etenim calori ferè continuo et dominante servationem suam debuerunt Alkalæ cives (qui universìm pistores multùm elaborant et igne siccari non desinunt), licèt in medio eorum extiterint ægri, per communicationem habitam cum exteris febre luteâ correptis, contaminati (1)? Ex aliâ parte, memorari quoque datur exemplum quo constat ab humiditate calori superiore impeditam fuisse contagionis communicationem (2): agitur de naviculariis (super *Gualdaquivir* fluvium) qui, navigiolis suis affixi, à concivibus aliis separati remanserunt et quos atmosphera magis humida quàm calida à febre flavâ defensos tenuit. Refert etiam *Lindius* degenerationem morborum in ictericam affectionem non tantùm extitisse apud nautas quibus remansio in navibus concessa fuit, quantùm apud receptos in *Greenwich* nosocomio, ubi convalescentia

(1) *Berte*, op. cit. p. 158. 350.

(2) *Berte*, ibid. etc.

lenta, laboriosa, incerta, et sæpè per minimum in diætâ errorem recidivis obnoxia sese præbuit (1). Idcircò percelebris iste Medicus, causâ uniuscujusque advenæ contrà morbos calido climati proprios tuendi, habitationes commodas, innatantes et à terrâ satis dissitas, per insalubria tempora proposuit (2). *Confer.* (LVII).

De pestis simili modificatione secundùm caloris mutationes et ejus relationes cum humiditate.

XV. Huc usque de diversis modis, quos varii humiditatis gradus pro febris flavæ apparitione afferunt, semper habitâ ratione caloris, actum fuit : nunc de eventu pestis orientalis modificato secundùm caloris mutationes, ejusque relationes cum humiditate, parùm loquendum est. Si in fervidis regionibus, quas per calorem humiditate multò superiorem aggreditur pestis, hæc temperaturæ altitudo declinat, et si in eodem tempore accrescit humiditas, mox hic morbus silere

(1) Gazette salutaire, 1786, n.º XXIII. = Repetitio omnium, quæ de nosocomiorum imperfectione jàm dicta fuerunt, fastidium excitaret : sed adhuc curiorum, singulare, et fortè utile esset asserere et probare nosodochia, in statu quo nunc etiam instituuntur ac reguntur, bonæ medicinæ et veris Medicis contraria, atque ægris et societati omninò perniciosa fieri. De hâc re occupandus, et solo desiderio similibus meis prodesse excitatus, ideas meas in tempore communicabo.

(2) Nouvelles de médecine, t. 2. 1786. p. 109.

assolet. Regio Deltica, in Ægypto, v. g., à peste plerumquè vastata, multò minùs eâ affligitur, quandò grandis et insueta Nili alluvio terram extraordinariè exsuperat, illamque potiùs aquosam quàm paludosam efficit. Civitas Alexandria, ab eâdem calamitate singulis annis visitata, et fermè constans contagii fons et officina, nulliter hunc morbum exhibuit ut primùm in ejus circumsessione ab Anglis intercissi fuerunt aggeres Lacum *Madier* à *Mareotide*, ex longis temporibus exsiccato, distrahentes, ita ut aqua textilis, quæ undiquè Alexandrinum territorium circumivit, totam ejus atmospheram humidiorem præstiterit. = Anno 1799, exundatione Nili altissimâ humiditatem solito majorem in Cairo et ejus viciniis effundente, nullus pestis advenit casus, (saltem à me auditus) . . . Sed ibi grassata est affectio catharralis epidemica quam plerique Galli experti fuerunt et cujus occasione apud nonnullos icterus benignus prodivit. Egomet hoc ultimum symptoma exhibui et aliquot hebdemadibus servavi. Tunc temporis, et propter quædam tædia, calefaciens pro meâ idiosynerasiâ regimen tenebam; et hìnc asserere licet, si Gallorum Cairum habitantium generalitas modo reapsè stimulante degisset, indubitanter frequentiorem fuisse auriginem. Hìc notandum est

inter potibus spirituosis assuefactos et sub formâ infarctuum ac congestionum satis frequentes apparuisse jecoris affectiones. Imò, in hâc Africæ parte plures hepatidis casus vidi, et semper apud potatores in quibus sub atmosphærâ calidiore quàm humidiore (ut accidit fermè semper in Ægypto, et interdùm in Antillis) biliosus humor dominatur, et tamen ad putredinem non vergit, tantùm verò ad obstructionem, inflammationem et abscessionem in biliari systemate (1).

Confirmatur differentia inter pestem orientalem et febrem flavam jàm (V) enunciata.

XVI. Ex modò memoratis consequitur febrim flavam à peste orientali differre in eo quod, sub temperie æquè humidâ ac calidâ aut frigidâ, transpirationis humores versùs interiora organa repulsi impressionem suam in priore morbo dirigunt et sedem suam figunt super organa digestiva, presertìm biliaria (2), in irritationis continuæ satu à regimine anteriore calido tenta, dùm in posteriore (peste), quæ sub temperie plus calidâ aut frigidâ quàm humidâ locum habet, eorumdem humorum deviatorum et alteratorum impressio in maximâ parte et veluti

(1) *Retz*. Mal. épidém. p. 218.

(2) Sic propemodùm autumat *Rubinius* qui indè febrim flavam *typhum contagiosum biliarem* appellat. op. cit. p. 85. 94.

per *reflexionem* repetit cutaneum organum calore atmosphæræ fixo et fervido constanter et profundè stimulatum, vel per frigoris externi actionem (1) in statu erethysmi positum. Idem effectus humiditate calori aut frigori junctâ productus non nimis mirus est : nàm extremus gradus aut algidæ aut ferventis temperiei in exercitibus Gallis, sicut et in copiis coalitorum Principum, produxit eamdem febrim putridam cujus itaque pernicies et in summâ Æstate et in mediâ Hyeme erumpere visa fuit (2). Denique, ex plùs minùs-ve absolutè et stabiliter in partes internas directâ et constitutâ humoris perspirabilis impressione, aut ex ejus in organum cutaneum *irradiatione* reflexâ, symptomata in secundo febris flavæ stadio minorem quàm in eodem et pari pestis tempore dilatationem et rarefactionem præsentant. Etenim, in posteriore affectione reapsè adsunt vultûs tumefactio relucens, linguæ turgescentia, et

(1) Humorum directio in morbo icterode versùs systema abdominale fixa sine dubio est una metaptosis epidemica quam super jecur impellit anni temporis et climatis influxus, et corroborat præcedens atque constans error in regimine. V. *Lorry*, de morbor. mutationibus et conversionibus, p. 253. 268. 302.

(2) *Marcus*. Vid. Biblioth. med. Brouniana Germanica, t. IV. p. 37.

pluria alia epigenomena in exteriore corporis habitû apparentia, v. g., vibices, anthraces, bubones, etc., dùm in febri icterode symptomatum declaratio, minùs externa quàm interna, per fellis insignem folliculum, per systematis biliaris congestionem, et interdùm per carbunculos in stomacho, communiter sese exhibet.

An, et cur flava febris minùs contagiosa quàm pestis?

XVII. Hæc omnia usque nunc effata probabiliter sufficient ut similitudo aut saltem analogia inter pestem orientalem et febrem luteam sub intellectu cadat. Si tamen (in causâ attenuandæ meæ de suprà dictis sententiæ, atque infirmandarum conclusionum à me allatarum ex observatione factâ super Gallos in Cairo vulneratos, et quorum nonnulli, sub atmosphærà *proportionaliter* calidâ et humidâ degentes, fuerunt soli à typhode flavo correpti) mihi objiciebatur ipsos fines, quibus febris hæc icterodes sese continere videbatur, satis indicare et valere ut ea consideranda sit tanquàm contagiosæ facultatis immunis, et indè differens à peste orientali; responderem, miasmata prioris morbi contagiosa, cùm sint minùs volatilia, pariter difficiliùs in aërem effundi et extendi : cui adhuc adderem hanc diversitatem, in morbificarum earumdem molecularum habilitate ad sese propagandas existentem, dependere ex statu

atmosphæræ quæ in pestis regione magis dilatata, et in febris flavæ locis, prædita minore elatere sese ostendit. Cœterùm, cùm nullum sit contagium *absolutum*, et imò, cùm uniuscujusque contagii pervulgatio non nisi ex paritate ac conformitate circumstantiarum, in quibus occurrunt infecti et inficiendi, oriatur (1), non mirandum est si pestis, si febris flava, in sauciorum nosodochiis erumpens, limites et sedem inter hos figere videatur et parcere omnibus quorum localis aut universalis organisatio à priorum organisatione discrepans offertur. Itaque admittendum est directam et propriam contagii actionem in præsentis dispositionis mutatione et in ejus promptâ ad morbum conversione consistere (2).

Revertitur ad primum quæstionis membrum.

XVIII. Ad primum quæstionis propositæ (I. III.) membrum revertens, statim confiteor à defectu experimentorum jàm factorum et à faciendorum difficultate super substantias animatas, in suæ infectionis momento et du-

---

(1) Ergò non assentiendum est *Hoffmani* dicto, juxtà quod pestis promiscuè, nullo habito temperamenti, habitûs, corporis, ætatis, vitæque generis discrimine, omnes omnis generis homines adoriretur (Opera omnia, Suplem. I. p. 779). Aliundè isti ideæ non diù hæret hic celebris Auctor : nàm paulò longiùs (*Ibid.* p. 782) meæ sententiæ conformis videtur.

(2) *Marcus*. Ibid. p. 32. 36.

rante contagii elaboratione omninò ab aliis sejunctas, ratiocinationes à *posteriori* impossibiles exstare. Ideò, ad tutò et utiliter materiei elucidationem prosequendam, coactum me credo paucas meas notationes alienis observationibus fructuosas facere, auctoritatibus numerosis niti, me que tandem continere in conclusionibus suprà appropinquationes et plùs minus-ve manifestas relationes, et etiam suprà facta ex practicorum sapientium operibus excerpta stabilitis. Uno verbo, hìc cum *Menureto* (1) dicere congrueret, de actione et effectibus contagiosorum miasmatum disserendis, « sensum externorum applicatione et » exercitatione deficientibus, ad analogiam, » quæ sola in lucem nos duceret, recurren- » dum fore. » Itaque progrediendi gratiâ secundùm ordinem jàm anteà memoratum (I. III.), in brevem sermonem de probabilitatibus ac factis nonnullis, quæ à parte vegetabilium vitâ præditorum suppeditari queunt, ingressurus sum.

Quantùm temporis in plantis servari potest germen contagiosum ?

XIX. Attentiva cura apud pastores habita in impediendo gregum pastu in campis, per quos quoddam suspectum armentum in die transiisset, amplissimè indicat miasma contagiosum, ab uno aut pluribus infectis anima-

(1) Des effets de l'air dans les maladies contagieuses, etc.

libus depositum, per aliquot horas in *viventibus* vegetalibus retineri posse: timores verò et cautiones eorum cessant, ut primùm ros vel pluvia in terram ceciderit et tantisper manserit (1). Ex hac hippiatricâ observatione credere licet cespitem, super quem febris flavæ aut pestis contagione affectus jacuisset, haud expertem periculo fore pro illo, non adhuc ægrotante, qui antè 12, 24 horas quietem placidam ibi caperet: sed simul, post hoc temporis intervallum, probabile est vegetationis vim, agri humiditatem, terræ fermentationem et ventorum agitationem miasmatum extensioni et extinctioni suffecturas esse.

Cui causæ attribuenda est contagii evanescentia in agmine sedem mutante?

XX. Ad præcedentis observationis fidem, adjiciam nullam enunciari posse medicam relationem in quâ mentio sit de contagione humanâ super quoddam viridarii punctum relictâ, atque susceptâ ab alteris personis quæ post primos infectos ibi requiescere potuerint. Hâc de causâ, non-ne peti posset undè provenirent affectionis contagiosæ remissio et imminutio in quodam agmine, à primâ vel secundâ die cùm sedem suam mutaverit et in campo novo unam vel duas noctes con-

(1) *Paulet*, maladies epizootiques, tom. I. p. 154.

sumpserit

sumpserit (1) ? Judicio meo, hic sanitatis militum melior status tribuendus esset tàm vegetationi (2) et intestino labori terræ, in quâ sese collocant, quàm aëri miasmata super eos adhuc conservata dispergenti et infringenti. Hoc modo, præsumi datur, si in vegetalibus vitalitate præditis pestilentiale germen cum totâ suâ virtute haud paucis horis servari potest, maximè etiam probabile esse exhalationem et elaborationem plantarum, conjunctè cum atmospheræ agitatione et terræ exsudatione, ad idem miasmatum germen elaborandum et discutiendum in unius noctis spatio satis valere.

Quandò contagiosæ materiei conservatio diutina datur ?

XXI. Si libera terræ perspiratio, si imprimis vegetabilium vitalitas, miasmatum morbidorum in istis insidentium mansionem diutinam sine facultatis et energiæ contagiosæ decremento non permittant, contrarium evenit ergà similes moleculas noxias et inclusas in locis, ubi deest vegetatio, profundè silet aër, et tandem ubi humiditas copiosa et immota quiescit. In his enim circumstantiis

(1) *Vid.* mea Dissertat : *de l'utilité de l'exercitation du corps dans les maladies*, in-4.° p. 31.

(2) Medici *Banau* et *Turben* à solâ vegetatione penitùs permutari et deleri miasmata autumant. *Gazette Salutaire*, 1787, n°, XX.

et ex Loïmographorum observationibus (1), seminia contagiosa cum omni suo vigore permanent; et hâc ratione, quandò exsiliunt et sese evolvunt, quantumcumquè tardè id fiat, vehemente et pernicioso modo expanduntur et propagantur.

De miasmatibus suprà animalia depositis.

XXII. Deficientibus aliis factis circà vegetabilium aptitudinem ad miasma pestilentiale plùs minùsve diù in ejus integrâ virtute servandum, subjecto quod magni nostrâ interest, videlicet miasmatum super animalia depositorum conditioni et statui sermonem transferre expedit. In gratiâ discussionis ordinandæ et elucidandæ, supponam, 1.° animalia posse contagiosam materiem afferre, conservare et communicare, quin ab eis ipsamet afficiantur; 2.° posse etiam ab illâ offendi, quin extrà se eam communicent; 3.° tandem, actionem ejus subire et simul in alia viventia corpora transitionem ejus interdùm permittere.

Iidem morbi non sese præstant contagiosi pro cunctis ani-

XXIII. Cùm omnia animalia inter se non sint similia, et exteriore conformatione aut interiore structurâ, degendi ratione, pathe-

---

(1) Vid. *Wanswieten* Commentaria in Aphorismos, etc. T. IV. De morbis Epidemicis. = *Seltmann*, Dissert. de Morb. Chronicis ex *Stollii* prælectionibus, etc. curante *Eyerel*. t. IV. p. 199.

matumque naturâ et modo invicem discrepent, morborum nonnullorum pro unâ specie contagiosorum, quorumdam autem pro alterâ inertium admissio necessaria datur (1). Sed adnotandum est animal quodcumque, quamvis ad suscipiendas aliquot affectiones contagiosas suæ speciei alienas parùm idoneum sit, valere tamen ut certo modo ejus receptaculum fiat; et hoc posito, an illud miasma, sic depositum atque conservatum, nihil sui vigoris amittat, nunc considerandum offertur.

malibus quæ eadem non sunt.

XXIV. Primùm, nudum vel coopertum est animal : in posteriore casu, *indirectè*, id est, mediantibus substantiis inorganicis quibus defenditur, germina contagii secum portare haud nequit ens animatum, et cùm hæ substantiæ, nec exsudationem nec inhalationem vitalem possideant, facilè est intelligere morbifica miasmata in earum superficie et textili retenta, tranquillè et satis diù sine virtutis damnosæ decremento esse permansura. Respectu istarum substantiarum, quæ inter illas gradum *animalitatis* majorem occupant, materiem contagiosam faciliùs absorbere et diutiùs servare videntur : quæ autem ab ejusdem *animalitatis* conditione magis

Quomodo super animal coopertum potest servari contagii materies ?

(1) Vid. M. A. *Plenciz*, de Contagio, p. 14. 29. 89.

sunt remotæ, sicut sese præbent mineralia etc., *communicabile* germen difficulter accipiunt aut brevi tempore perdunt. Sed usque adhuc, contagiosum miasma in vivi animalis corpore *immediatè* depositum non datur: itaque ejus consideratio in isto animale vestibus induto de vero quæstionis puncto deflectit.

Cur de modo, quo servari potest miasma in animali nudo, nil certi dari potest?

XXV. Igitur, causâ primi membri quæstionis solvendi, simplices, positivas, in conclusionibus lucidas, superque nuda animalia confectas offerre desiderarem; sed invitis meis votis, quàm parcæ sunt opes meæ! Homo enim, cujus contemplatio permagni nostrâ refert, fermè semper vestibus induitur, imò nunquàm sese præsentat in hoc statu segregationis ac nudi corporis, qui solùm unum sui habitûs exterioris punctum, solùm unam suæ propriæ substantiæ partem contagiosis germinibus pro sede præberet. Cæterùm, an-ne improbabile esset, si nudi degeremus, vel aquæ contactum in omnibus corporis partibus permitteremus, febri flavæ et aliis morbis malignis nos fore minùs subjectos? Ut de hoc argumento provocetur confirmatio, nonnullæ observationes adjuvare possunt. = Mihi retulit quidam viator, ex Insulis Antillis rediens, se coactum fuisse ut in conclavi absolutè vacuo solus et nudus

Observatio 1.a

dormiret, dùm habuit febrim icterodem, ex quâ promptè convaluit. = Præfectus cujusdam navis, ubi sæviebat pestis, eâdem correptum sese sentiens, cunctas suas vestes detrahit, et totâ nocte super foros nudus recubat. Copiosus ros, corpus ejus madefaciens, in paucis horis liberiorem respirationem et cerebrum minùs laborans adduxit. Postero die manè, in aquâ maris sese lavit et perfectè valuit. = Gallicis copiis in Ægypto commorantibus, Chirurgus cujusdam navigii (*la Coquette*) è Syriâ venientis, et mihi notus, inter nautas curæ suæ commissos aliquot pestis insultus agnoscit... Brevi seipsum malè affectum sentit ... capitis dolore conflictatur ... cerebro inordinatè et ægrè tentatur ... uno verbo, morbo epidemico-contagioso se tentatum credens, cum vestibus suis Nilo immergitur, et post lavationem agitatam, capite libero, et toto corpore benè valens, navem suam tranquillus repetit. = Insuper, febris flavæ infrequentia inter Nigritas, qui propemodùm non sunt ab aëre defensi, æquè ac inter Colonos climati assuefactos, qui etiam vestes tantùm leves induunt, et persæpè eas lavant vel permutant, meæ assertionis admissioni libenter incitaret. E contrariò, advenæ, præcipuè milites, sicut et alii laboribus

Observatio 2.ª

Observ. 3.ª

Observ. 4.ª

et defatigationibus oppressi (1); laneis vestimentis cooperti, raro ea renovantes, diutiùs ibi retinent miasmata, quæ, vestibus omissis, absque morâ actionem emitterent aut sese avolarent (2).

De cætero, corpus *nudum* vel aquæ contactui expositum, minùs facile contagem retinet.

XXVI. Indè patet munditiem contagionis effectui contrarium et optimum esse remedium. Quæ de illâ in morbis contagiosis affert percelebris *Lind*, hìc delineare perutile existimo. « Mundum corpus difficiliùs contagionem communicat quàm squalidum et pannis sordidis onustum. . . Qui ægros adhuc vestitos trahebant et contrectabant, sæpè contagione inficiebantur . . . , dùm cæteri omnes qui antè ferventem ignem eos nudabant et in lectis linteisque mundis positos curabant, difficulter morbis corripiebantur, aut saltem apud eosdem custodes infectio suscepta non nisi levis exoriebatur, et cura ejus prompta ac fausta eveniebat, imprimis si in dormitoriis cubiculis spurcorum et inquinatorum lin-

(1) *Masdevall;* Epidémies de la Catalogne, p. 10.

(2) Corporibus nostris nudis et aperto aëri expositis, inquit *Godardus*, moleculæ noxiæ, quæ ab ægrotantibus evadunt, puncto adminiculi carent, et subitò per atmosphæram diluuntur et evaporantur. *Mémoires de l'Académie de Dijon*, 1785, p. 375.

» teaminum mansio et eorum major, ex » accumulatione, corruptio impediebantur (1). » Suspicari igitur liceret, linteis ad ægrotantium usum diù inservientibus, dosim aut virtutem contagiosis miasmatibus majorem inhæsisse, ita ut eorum renovatio et mutatio affectis minorem morbum, et adstantibus minùs infectionis discrimen præsentarent.

Munditiei utilitas contrà contagium.

XXVII. Insuper, ex ejusdem *Lindii* admonitione atque aliorum auctorum jusso (2), pro ægris quotidiè aquâ immergendis (XXVIII) aut aperto cœlo exponendis, simul ac pro vestibus eorum lavandis, scire cuperem an ipsemet ægrotus, apud quem contagium jàm formatum atque evolutum supponeretur, ex isto novos insultus non experiretur, anque sub hoc respectu contagiosus morbus tanquàm productum cujusdam aptitudinis ad contagem rursùs suscipiendam (LXIII), quandò unâ vice morbi germen sese prodierit, considerari non deberet. Hæc conjectura, aliundè aspicienda

(1) Fièvres contagieuses, p. 62. = *Sarcone*, op. cit. tom. 2. p. 50.

(2) *Lettsom*. V. *Banau*, manière de traiter les fièvres contagieuses, p. 53. = *Darwin*, Zoonomia, t. IV, p. 378. = Mémoires de la Soc. Roy. de Médec. 1780-81. p. 78. = *Baumes*, Méthode de traiter les maladies, etc. p. 125.

et etiam excusanda, si necesse sit, post sententiam Illustris *Fordycii* de febre continuâ, quæ ab hoc Medico datur veluti repetitio ephemeræ febris, cujus itaque subsequens paroxysmus antè præcedentis finem, aut, quod idem est, in istius periodo caloris incipit (1), hæc conjectura, inquam, eò considerationis dignior videtur quò probabilius est contagiosam materiem in morbo perfectè producto non enervari nec deleri nisi sensìm ac pedetentìm, sive sese dispergendo in linteis nitidis et sæpè renovatis (L), sive sese extendendo et dissolvendo in insensibilis perspirationis humoribus (quorum præterea secretio à munditie provocatur), sive tandem per atmosphæram sub formâ et modo vaporum abeundo. = Circumstantiæ (2), quæ hanc contagionis imminutionem perverterent aut impedirent, convalescentiæ quoque tardiori faverent, imò producerent recidivas, quarum apparitio ideam contagii in febribus, ubi locum habebant, *Lindio* (3)

---

(1) Annales de litterature Méd. étrangère, tom. IV, p. 104. 122.

(2) Inter istas circumstantias præcipuè adnumerari debet præsentia linteaminum aut vestimentorum jàm portatorum ab ægris, et quorum remotio, juxtà *Lind*, valetudinariorum custodum immunitati sufficit.

(3) Fièvres contagieuses. p. 62.

sanè inspirabat. Eo modo acuta contagiosa affectio perpendi posset veluti composita ex pluribus morbidis insultibus, ordinariè haud multùm sejunctis, et quorum successio sese exhiberet ex eò quod æger actioni miasmatum ex aliis affectis, eorumque linteis, aut è seipso manantium continuò expositus versaretur; ita ut, si idem æger promptè et procùl à cœteris discederet, ejus morbus minùs gravis, minùsque diutinus accideret: Celebris *Smithii* proprium experimentum istam consecutionem confortaret. Etenim, in principio nosocomialis febris quâ inficiebatur, cùm iste medicus exiguam tantùm in suâ consuetâ degendi ratione, nullam autem in suis privatis relationibus mutationem attulerit, nec hospitiorum curam ac inspectionem cessaverit, paucæ medelæ ab illo impensæ id tantùm utilitatis attulerunt quod febrilis affectio ex remittente leviter intermittens evaserit; quæ tamen conversio non impedivit quin accessiones intensiores, completiores ac evidentiores primùm sese præbuerint, atque deinceps, quamvis suas omnes operas repetens et ope exercitii et temporis procul ab hospitiis exacti paulisper allevatus, singulo vespere in febrili statu sese senserit idem Medicus. Denique, post quinque hebdomades, conditio ejus morbida gravior facta

fuit, cùm unumquodque conclave visitans, quemque ægrum accuratè adiens et examinans, et sic totum fomitis contagiosi influxum experiens, sequentem noctem implacidior quàm præcedentes consumpserit. Ideò, *Vintoniam* reliquit, et *Londini* viam aggrediens, patienter et commodiùs quàm credidisset, iter suum finiit. Vix autem hanc ultimam civitatem attigit, cùm febrim minùs intensam subiit, et de die in diem meliùs sese habuit (1). = Jàm D.r *Wals* exploratum obtinuerat persæpè à malignis febribus ægrotantes non planè recreari, nisi arcendo contagiosam influentiam cui constanter erant obnoxii, et consequenter, nisi cubiculum permutando atque conclavis aërem renovando (2). = Egomet militum certè infectorum ab alio morbo laborantibus remotionem jubens, nullum pestis seminium à prioribus relinqui observavi, dummodò continenter et conjunctìm discessus lecti eorum et vestium pariter exstiterit.

An-non morbus contagiosus, tanquàm compositus à pluribus

XXVIII. Talis cogitatio de compositione malignarum febrium (inter quas pestis Orientalis et febris icterodes eminent) à pluribus

---

(1) Observ. sur la fièvre des prisons, trad. de l'Anglais par *Odier*, p. 30.

(2) Journal de Médecine, tome XC. p. 205. 208.

accessionibus, aut, quod idem est, à pluribus aliis exiguis febribus contagiosis, probabilior adhuc admittitur, 1.° Ex usu tàm frequenter utili corticis peruviani (1); 2.° Ex aptitudine quam contagiosi febriles affectus versùs intermittentiam haud rarò præsentant; 3.° È minore eorum diuturnitate, quandò procul à contagii fonte et fomite curantur; et 4.° demùm, è frequentibus recidivis quæ in Nosodochiis tàm communes sese ostentant, dùm aliis in locis nullus aut saltem rarissimus assultus rursùm prodit (2). Lotiones aquosæ ab Universitate Monspeliensi de-

successivis assultibus actionis contagiosæ, considerari potest?

---

(1) Si hic Cortex in febri pestilentiali aut icterode non semper benè successit, ex eo id evenit quod in momento opportuno et præcipuè in dose sufficiente non donatus fuerit. (*Voy.* Voyage dans l'intérieur de la Chine, et en Tartarie, par Lord *Macartney*, tom. 1. p. 319.) = Saltem quidam Medicus Hispanus ex eo in quantitate 6, 8, 10, unciarum et inter paroxysmos exhibito permagnam utilitatem obtinuit.

(2) *Fouquet*, Constitution de l'an V, p. 23. Quod etiam confirmaretur observationibus super luem bovinam factis, et ex quibus constat, 1.° Celeritatem cum quâ lues ista sæviit, atque stragem quam effecit, eò majores fuisse quò numerosius in quibusdam locis fuit armentum. . . . 2.° Hanc cornigeri pecoris cladem imminutam fuisse, ut primùm singula animalia, usque adhuc et ab ingressu luis in uno stabulo simul acervata, à se invicem separabantur. *Commentarii de rebus*, etc. t. 2. p. 611. *V. Lancisius*, de Bovillâ peste pars 3.ª p. 164.

mandatæ in gratiâ eorum, qui contagii effectibus expositi manent, et statìm ac febris invasionem percipiunt (1), intentionem Doctissimæ istius Societatis ad novas miasmatum contagiosorum admissiones impediendas satis indicare adhuc videntur (XXVI-XXVII).

Hæc compositio præsumi datur è recidivis apud febrem pestilentem, variolosam, petechialem haud raris.

XXIX. De reliquo, hæc successiva apparitio insultuum, à facultate febris flavæ et pestis Orientalis contagiosâ procedentium, stupenda judicari non debet, cùm crebrò in febre petechizante eruptio diù stare vel evanescere et deindè renasci videatur (2), et cùm etiam virus variolosum in corpora, è quibus manat, reagere valeat, si eo laborantes suum cubile haud mutent (3). Itaque, cur non admitteretur in uno, quod in aliis morbis accipitur, præsertìm in petechiali, quem regiminis errores, aër frigidus per convalescentiam, tristia animæ pathemata, et communicatio cum alteris eodem morbo affectis (4) regenerare observantur? = Jàm

---

(1) Opinion de l'École de Médecine de Montpellier, an 8. p. 115. = *Vid.* Notam (2), p. 55.

(2) *Strackius*, de morbo cum Petechiis, p. 96. 98.

(3) *Russel*, op. cit. p. 53.

(4) *Strackius*, ibid. p. 125. 187.

dixerat *Poissonnier Desperrières* (1) recidivas in febre putridâ et pestilentiali, quæ annis 1757 et 1758 *Brestum* vastavit, vitio diætæ ad morbi finem, et aëri contagioso, cui subjecti remanebant ægri, attribuendas esse. Præterеà, istæ iteratæ affectiones, *recidivæ* dictæ, tempus nervosum præbent exactè simile tempori nervoso morbi contagiosi qui primùm invasit : indè *Huxamius* istas sæpè præsagiebat, quotiescumquè in affectionibus contagii capacibus urinas ex turbidis pellucidas et crudas iterùm comparere adnotabat (2).

Ejusdem argumenti continuatio.

XXX. Ex dictis concedere licet in ægris sub imperio aut ulteriore novi contagii actione perstantibus coctiones et crises saltem conturbari, et de hâc re sequentia effatur Waglerius (3) : « Malo semper omine . . . » incœpta in febribus malignis molimina » critica rursùs evanescunt. » Tandem, causâ meæ opinionis stabiliendæ, adjicerem, si necesse daretur, celebrem *Dehaen* in similibus ideis saltem pro momento versari visum fuisse (4), quandò sermonem habens

---

(1) Maladies des gens de mer, p. 302. = *Lind*, Dissertation on fevers and infection, 1774. p. 238.

(2) De aëre, etc. vol. 2. p. 47. 55.

(3) De Morbo mucoso, p. 239.

(4) Ratio medendi, t. 2. 2. p. 213.

de morbo febrili Petechiali, ubi post aliquot dies tranquillos nova nascuntur symptomata, dictum suum sub dubii et interrogationis formâ concludit his verbis, « nisi forsitàn » quis novum potiùs morbum quàm reci- » divam appellandum esse arbitretur. »

De translatione contagii ex uno animali ad aliud diversæ speciei, sed priore illæso.

1.° De hominibus ad bestias.

XXXI. An-ne sententiæ modò memoratæ utilitas atque pondus indulgentiam lectoris pro momentaneâ declinatione à subjecto meo conciliaverint? Quidquid sit, nunc nonnulla facta plùs minùsve positiva contagis cujuscunque ab uno animali allatæ, mediante que illo, etiam illæso, aliis diversæ speciei animalibus transmissæ prolaturus sum. = Canis sequens servos ad propinquum pagum plaustra conducentes, transiensque propè villam, cujus ferè omnes vaccæ mortuæ, non verò in satis profundâ terrâ defossæ fuerant, carnis earum odore allicitur . . . illam detegit, edit et domi redit. Valdè sitiens, potûs pro vitulis præparati partem ibi haurit, et deinceps in fimeto sese volutat. Aliquot post dies vituli ægrotant et brevi moriuntur . . . Contagium inter vaccas sese diffundit, et ejusdem sortis participes eas præbet (1). = Secundùm

(1) *Paulet*, Maladies épizootiques, t. 2. p. 66. = Fatendum est ex hâc observatione justè probari contagionem à cane illatam fuisse; de modo autem quo commu-

Lancisium ex *Valisniero* narrantem, Epidemia verè pestilentialis, quæ cornigerum pecus depopulabat, translationi suæ, mediantibus canibus, pariter de loco in alium locum occasionem suppeditavit (1). = Ex Medicorum et Veterinariorum observatis sæpè etiam patuit lanios, mangones atque marescallos secum importasse et potuisse communicare miasmata deleteria, solùm tangendo boves aut equos, qui, procul à locis armentis infectis pascentes, huc usque benè valuerant. Ob hoc discrimen arcendum, et in tempore Epizootiæ contagiosæ, accessus et introïtus in bubilia et equilia, non adhuc inquinata, eisdem hominibus interdicebantur (2).

XXXII. Sed, sicut homines germinum morbificorum latores et conductores pro bestiis esse possunt, quamvis eorum actionis immunes fiant, ità pariter posteriores miasmata noxia, quibus sunt alienæ, ad nos transferre queunt; et reipsà, haud pauci

2.° De Bestiis ad homines, prioribus inoffensis.

---

nicata fuit, nil certi indè luxisse. Libenter cogitarem non directè, sed aliis mediantibus substantiis, ex cane in pecora transiisse. Attamen hæc conjectura conclusiones ex eo facto nulliter infirmaret.

(1) *Paulet*, Malad. épizootiques, t. 2. p. 115. *Plenciz*, de contagio, p. 16, 18. *Lancisius*, de peste Bovillâ, p. 134.

(2) *Lancisius*, op. cit.

in Medicinæ annalibus continentur casus felium, corvorum, etc., ex unâ in alteram domum morbos pestilentiales, à quibus existebant liberi, propagantium (1). Et hoc tàm frequenter advenit ut, inter cautiones pro hujus calamitatis extensione impediendâ, remotio accurata ab istis avibus carnivoris et interemptio animalium domesticorum errantium expressè commendari soleant. Aliundè, sæpè adhuc notata fuit morborum epidemicorum ex bestiis in homines transitio, ut in obsidione Trojanâ per quam primùm canes, mox muli, et posteà homines peste correpti fuerunt (2). Illa varia exempla influxûs animalium super homines, ac hominum super animalia, regnantibus morbis pestiferis, quorum itaque germen mutuò et deinceps sibi cedebant, sanè satis erunt ad probandum et admittendum miasmata contagiosa plùs minùs-ve diù deposita super animatas substantias remanere, et nihilominùs cum suâ integrâ virtute conservari posse, quamvis

(1) *S. Aloysius Tudescus de Monte-Galea*, amussis anti-lomoïca, p. 19. = *Samoilowitz*, Voy. Gazette salutaire, 1783, n.° XXIV. = *Chicoineau*, Peste de Marseille. = *Plenciz*, op. cit. p. 19. 79. = Gazette de santé, 1788, n.° 2. p. 6.

(2) *Huxam*, de aëre, etc. vol. 1. p. 2. = *Lancisisius*, de Bovillâ peste, etc.

etiam

etiam istæ posteriores ab eorum actione expertes sese præstent.

XXXIII. Quod attinet ad miasmata pestilentialia quibus interdùm angitur et opprimitur species humana, et quorum ex unâ ad aliam personam, priore intactâ et eo ipso munus conductoris tantùm explente, translatio produci potest, *Pallonius* (1), et antè eum, D.r *Haygarth* (2) in medium adduxerunt hominem, benè valentem et proximum laboranti à febre ictericâ, nunquàm fuisse viam transmigrationis contagii ex uno ad alterum, priore semper sano existente. = Hanc assertionem nimis positivam penitùs pugnare factis rectè oppositis, perdifficile datur : annon verò aliquid ejus ponderis amitteretur, si istorum medicorum dictum compararetur cum effato D.ris *Gianini* de nutricibus, quæ, postquàm lactaverunt variolosos infantes, in suis mammis vident erumpere nonnullas papulas, quarum ope puerulis aliis (earum ubera post primos sugentibus) variolas donare possunt, quamvis ab hâc eruptione propriè dictâ jamjàm correptæ fuerint (3).

2.° De homine ad hominem, priore incolumi.

---

(1) Fièvre de Livourne, p. 42.

(2) *Smith*, Observations sur la fièvre des prisons, etc. p. 19.

(3) *Gianini*, Memorie di Medicina, tom. IV. p. 175.

Præter hæc, celebris *Smithii* positiva enunciatio carcerariam febrim ex individuo A ad tertium individuum C, per secundi B, et tamen nullo modo offensi, interventum haud raró sese communicare (1); — eadem clari *Fordycii* assertio, ex quâ constat miasma contagiosum benè valenti adhærere posse, ita ut in alium locum transvehi et alteris personis numerosè aggregatis, latore illæso, conferri queat; — *Camerarii* determinatio pro simili sententiâ, quandò dicit: « Pestem » fugiens, peste corripitur, et non infectus » eâ, alios inficit (2) »; — tandem altera observatio juxtà quam nutrix infantem aphtis malignis Gallicè *Muguet* dictis tentatum lactans, et plùs minùs-ve diù pòst alteri puerulo ubera præbens, in posterioris osculo ejusdem noxiæ eruptionis germen sæpè deponit, quamvis in papillâ et in ore nullam affectionem analogam præsentet; — non-ne hæc omnia ad æquandam et etiam superandam *Haygarthi* et *Pallonii* auctoritatem satis valebunt? Insuper supponantur omnes cujusdam loci incolae febri flavâ, ex. gr., jàm correpti et jàm curati; . . supponantur simul quoque advenæ sub istâ circumstantiâ

(1) *Smith*, op. cit. p. 21.

(2) Sylloges memorabilium Medic. Centuria 7.a part. 37.

hunc locum petentes; non-ne probabile et verisimile est posteriores à prioribus, quorum *perfecta sanitas* ex ordinariâ novi contagiosi insultûs immunitate præsumi potest, infectionem accepturos esse, si cum illis reginimis, occupationis, laborum, etc. analogiam aut identitatem quamdam adhibeant? Ergo non irrationabiliter, ob hunc metum, ingressus in Gades urbem, anno 1800, omnibus advenis, etiam salubrem regionem modò deserentibus, per quoddam temporis intervallum interdicebatur, quamvis inter cives nullus morbi contagiosi novus incessus sese exhiberet (1).

XXXIV. Ut ut sit, et saltèm de febris flavæ aut pestis orientalis materie contagiosâ, momentanea concipi potest istius depositio super cutem, ubi expectatur occasio commoda, cujus auxilio in istud organum agere aut in ejus vasa sese introducere ei liceat. Nàm aër cum quo germen deleterium in contactu semper adest, aut in quo constanter suspenditur, considerari et æstimari debet sicut aqua, certam salis cujuscunque quantitatem in dissolutione tenens; et de hâc comparatione, animadverti datur posteriorem *salinam* substantiam, in liquore extensam et cum

De miasmatis conditione ejus absorptioni necessariâ.

(1) Journal de Médecine, an XI. Ventôse. p. 497.

nostro corpore (quod immersum pariter supponitur) in contactu detentam, à vasibus cutis inhalantibus non semper absorptam esse. Etenim, post clar. *Seguinii* experimenta (1), hæc vascula absorbentia nec sugunt aquam, nec aspirant aërem aut alias moleculas in his fluidis mixtas vel dissolutas, nisi suscipiant *mediam temperiem*, cujus medio eædem substantiæ in perspirationis cutaneæ humore humectentur et extendantur, nisique etiam ipsamet vasa inhalantia haud coarctentur, quemadmodùm occasione, ex. gr., humilioris et mollioris temperiei id accidit (LXXVVI). Jàm de istis legibus, quarum imperio cutanea inhalatio tum in aëre cum in balneo aquoso subjicitur, quæstio fuit in opusculo super simplex aquæ balneum ab Academiâ Divionensi coronato (2), ubi statuitur, 1.° inhalationem in aquâ frigidâ nullam existere, in minùs frigidâ incipere, cum miti ejusdem fluidi temperaturâ accrescere, et tandem cum gradu *teporis* in aquâ ad suum *maximum* pervenire; 2.° Indè et cum caloris incremento gradatim imminui, et ad suum *minimum* pertingere, vel etiam

---

(1) *Fourcroy*, Médecine éclairée, etc. t. IV. p. 239.

(2) Dissertation sur le Bain aqueux simple, couronné en 1775.

cessare, quandò hic calor ad altissimum gradum ascendit; et 3.º Deniquè, ac in contrario sensu, exspirationem cutaneam cum aquæ calore augeri, et maximam esse in temperie fervidâ. Quapropter ex D.re *Raymondo* (1), ambientium vaporum absorptio ad hyemis finem incipit, usque ad æquinoctium crescit, et hoc tempore mitissimæ in aëre temperiei et maximæ in vaporibus densitatis, ad supremum suum gradum adest, deindèque paulatim decrescit (prout calores majores evadunt, et vapores magis rarefiunt) usque ad solstitium, circâ quod ad suum *minimum* sese exhibet; dùm è contrà exhalatio cutanea, à tempore signi *Arietis* usque ad signi *Cancri* tempus, sensìm copiosior sese monstrat. Vice versâ, exhalationis ejusdem decrementum incipit et majus advenit simul atque calores minores fiunt, usque ad Autumni æquinoctium, cùm aër mitissimus est et vapores densissimi existunt; aut tandem ejus imminutio locum habet prout frigora sæviunt (LVII). Imò, generaliter asserendum est dissolutionem, mediante certo humiditatis gradu, tàm requiri pro actione miasmatis contagiosi, quàm aëris mollitiem

---

(1) Mémoires de la Société Roy. de Médecine, 1788-81. p. 66.

pro phosphori inflammatione, partium humiditatem pro actione lapidis Caustici, et aquæ effusionem pro calcis vivæ fervescentiâ, etc. (1). Demùm quis neget materiem variolarum aut vaccinæ purulentam majore actione in statu liquido quàm in sicco pollere (2)? Quin etiam, licèt humiditas aut etiam fluiditas istis moleculis arte concedi queat, attamen ex caloris naturalis submissione vel defectu earum actio frequenter nulla existit (XIII). Saltèm hoc modo tantùm explicari potest inertia nonnullarum insitionum rabifici veneni apud ipsos canes (3); dum caloris certus gradus in salivâ sese præstans, per manum in rabiosi animalis fauces intromissam, sine *continuitatis* solutione, hydrophobiæ contagem propagare valet (LVII).

Actio miasmatis depositi ab humiditate (ex agentibus externis productâ) et à cutis flexibilitate pendet.

XXXV. His positis, possibile est pestilentiale miasma super cutem sese deponere, plùs minùs-ve ibi adhærere, prout hoc organum non flexibile se præstat, aut prout ipsum miasma ab aëre atmosphærico non sufficientem humiditatem accipit, et tandem in statu actionis capace stare, donec occasio, præsertim posterior, scilicet ex conditione

(1) *Sauvages*, de la Rage, in-4.° p. 46.

(2) Annales de Littérature Méd. étrang. t. IV. p. 522.

(3) *Bouriat*, Recherches sur la Rage, p. 56.

atmospheræ sumpta, occurrat. Quandiù enim hæc circumstantia locum non habebit, noxiæ materiæ intromissio vel actio obstabitur; et per hoc temporis intervallum, aër corpora nostra ambiens et eo modo cum germine pestifero contactum observans, istud dissolvit et illi incorporatur, ita ut hoc germen, cum suo novo menstruo coalitum, circulationis torrentem ingredi nequeat, propterea quod aër, moleculis contagiosis saturatus, in nostros humores acervatim et integrè admitti non valet (1); et quamvis etiam portiuncula quædam miasmatis sic extensi partes nostras permearet, semper accideret vim contagionis, aliundè et semper in ratione quantitatis et coacervationis molecularum morbidarum crescentem, earum dispersione multùm imminuendam fore (2). Itaquè sequentem petitionem formare licitum est: « Statuatur tem-
» pus cùm cutaneum organum in rigiditatis
» statu, absorptioni parùm idoneo, perman-
» surum sit; determinetur tempus cùm aëris
» temperies futura sit superior aut inferior
» huic temperiei quæ requiritur ut, æquans

Sed difficiliùs est statuere de diuturnitate actionis miasmatis depositi.

(1) *Godard*, sur quelques moyens de se guérir de la Contagion. Mém. de l'Académie de Dijon, 1785, p. 361.

(2) *Poissonnier Desperrières*, Maladies des gens de mer, p. 311.

« systematis nostri temperaturam, mixtionem » contagiosorum miasmatum cum perspira» bili humore provocare et adjuvare possit; » et tunc invenietur temporis spatium per » quod eorumdem miasmatum cuti apposito» rum inertia durabit. » Verùm postulati mei expletionem perdifficilem fatens, non diutiùs exercebo vires meas in constituendo tempore cùm homo miasmata, de quibus nulliter afficitur, super seipsum immediatè retinere potest; et nunc satis erit animadversioni offerre quamlibet personam sine discrimine societati reddendam esse, quandò intrà 10, 12, et ad summum 15 dies post recessum et remotionem ab omni suspectâ substantiâ, et post cunctarum inquinatarum vestium projectionem, nullum datur signum primi stadii contagiosæ affectionis (1). *Vid.* XLII. = Jàm improbabile probaverat *Chenotius* (2) germen pestilentiale ultrà quindecim dies intrà nos foveri, quin ex eo ægrotemus; et indè concluserat suspectorum segregationem per duas hebdomades sufficere. An igitur credendum est possibilitati contagii per annum in homine latitantis, ut apud

---

(1) *Rubini*, op. cit. p. 98.

(2) Gazette Salutaire, 1788, n.° XII.

Salmuthum refertur (1) ? Verè ut dicam, si Claris. *Fordycii* duas aut tres septimanas pro febris per contagium susceptæ evolutione exigentis (2) opinioni obediendum esset, sejunctio diuturnior requireretur (3) : hic autem Medicus de simplicibus, benignis contagiosis febribus solùm loquitur, dùm apud me quæstio est de febribus acutis, vel saltèm terribilium et discordium symptomatum serie stipatis; et de hâc re, generaliter admittitur contagis explicationem plùs vel minùs lentè sese exhibere, prout graviora aut leviora sunt ejus phænomena.

Miasmatis explicatio in febribus contagiosis acutis promptior.

XXXVI. Contendere corpus omne vivens, affectione pestilentiali correptum, ejus propagationi necessariò inserviendum esse, ad-

Non existit Contagium absolutum.

---

(1) Observat. Centur. 1.a Obs. 64.

(2) Annales de Litt. Méd. étrangères, t. 3. p. 133.

(3) Haud ignoro inter cornigera pecora epizooticum et pestilentiale miasma non visum fuisse sensibilibus symptomatibus sese declarans, nisi post duàs, tres, quatuor, et etiam sex vel octo hebdomades à suâ intùs-susceptione (Mém. de la Soc. Roy. de Méd. 1777-78. p. 622). Sed in eorum habitu extériore et pilis hirsuto sanè residet causa istius tarditatis in explicatione contagii Epizootici, cujus reapsè mansio et retentio faciliores esse queunt, dùm apud homines pestilentiale germen, super cutem depositum, in istâ non reperit hoc textum pilosum inter quod aut aëris atmosphærici agitationi, aut organi cutanei elaborationi non obnoxium esse possit.

mittere foret contagium *absolutum.* Attamen, et feliciter pro humano genere, Epidemiæ et morbi malæ indolis quosdam limites agnoscunt, et seriùs ociùs finiunt, quamvis in singula familiæ, domûs, pagi, civitatis individua non sævierint. Existeret-ne hæc exceptio, si contagione affecti affectionem suam morbidam *semper* communicarent? Undè procedit immunitas ista (1)? Ex diversâ in infecto et in exposito conditione, vel ex particulari alteratione quam recipit miasma in corpore introductum, et cujus ope perdere potest facultatem contagiosam ergà corpora cum eo in contactu posita. Animalisationis enim morbidæ productum non semper idem est. Aliquotiès ità contagium agit ut in individuo, illud modò recipiente, ex toto sese exerceat, contineat et consumat; et insuper, sæpè non satis primitivi sui moris possidet ad suam impressionem extrà ducendam et super corpora adstantia exposita stabiliendam. Vice quoque versâ, in effectu elaborationis quam materies contagiosa subit aut suscitat ipsa,

Quomodo non *semper* sese extendit contagium ex corpore infecto?

(1) Hic ratiocinandi modus rationi magis est consentaneus quâm D.ris *Maclean* argumentum, juxtà quod hic medicus asserit nullam in peste, dyssenteriâ et febribus Epidemicis contagem inesse, quia non omnes ægrotantibus adstantes morbo corripiuntur. *V.* Ann. de Litt. Méd. étrang. t. IV. p. 523.

sibi assimilare potest omnes jâm ægrotantis corporis humores, ei communicando suam virtutem et sic ibi producendo novum contagii fontem.

Quâ ratione in corpore affecto contages gressum suum sæpè sistere valet ?

XXXVII. Cæterùm omnia miasmata contagiosa ad nostros humores sibi assimilandos, aut ad nostra organa interiora penetranda non semper æquali modo tendere observabitur. Etenim accidere potest ut prima irritatio, ab eis excitata, pro illorum detentione ac cohibitione sufficiat. Sic, v. g., scabiosum virus in cutem peculiariter sese exercet, et frequentissimè ultrà non extenditur. Si hæc prima conjunctio cum fluidis vel solidis nostris hunc effervescentiæ gradum in illis, aut hunc Erethysmi statum in istis, ad progressus materiæ contagiosæ sistendos, non sufficientem constituit, ejus miasmata viam et actionem pergent, donec, ab aliis partibus retenta, in istis vim suam excitent ac coacervent. Hoc modo rubeolæ materies in cute non reperiens dispositionem organicam pro suì repressione requisitam, hanc partem deserit et versùs altera organa, haud raro nobiliora, passus suos et actionem dirigit. Sic pariter rabiei virus et viperæ venenum suam dotem noxiam non terminant, quandiù nullæ partes, eorum actioni contrariæ, occurrunt; quæ verò organorum inertia cessat,

statim ac ars medica ulteriores infectionis progressus impedit in cohibendâ materie aut retinendâ alteratione circâ unam aut plures partes, et in illâ ibi elaborandâ ac irritâ faciendâ; quod fit auxilio causticorum, vesicantium, et generatim omnium intùs vel extrà excitantium et ad peripheriam corporis pellentium. Nàm quodcumque remedium, ut quid utilitatis adhibeat, in sensu opposito cum materiæ contagiosæ progressu agere debet. Indè fit in mediâ contagione neminem ejus insultum experiri posse, quandiù organum cutaneum suam facultatem *expansivam* liberè et constanter exercet. Quamobrem post plures alios medicos ego à me omnem contagii metum arcui quandò noctu sudabam, licet ad hoc tempus in *Lazareth* aut alio Nosodochio discrimen pestis quotidiè incurrissem. Ut primùm verò quælibet causa, v. g., aër exterior nimis vivus, cutis contractionem inducit, tunc miasmaticum venenum (usque ad hanc horam in statu inertiæ versùs et suprà *activam* corporis circunferentiam) rursùs suum agendi aut penetrandi modum petit, et suam vim iterùm exercet et extendit. Ob hanc causam, regnante Neapolitanâ epidemiâ, haud pauci, inter urbem deserentes, et apertum campum petentes, ex hâc perierunt : in istâ enim occasione, ve-

nenum, quod in oppidanis domibus inerme permansisset, aliquot post dies rusticationis, existentiæ suæ in vasibus signa præbuit (1).

Via contagii ex infecto ad inficiendum.

XXXVIII. Quænam autem via contagii de infecto in inficiendum assignari detur, statuere utile foret : de hoc autem, quanta dubitatio ! Attamen non-ne in medium adduci potest contagionem suscipi mediante affectione posterioris in iisdem humoribus qui in priore alterantur ? Sic faucium gangrænosa læsio epidemica per halitum ægri ab adstante acceptum propagatur (LVI). Sic inter equos fluxus nasi morbidus ex uno ad alterum transit ob contactum narium cum substantiis super quas contagiosa lymphatica materies deposita fuit; sic in Ægyptiacâ regione per transpirationem pestis sese communicat, quia in illo morbo cutis continuis sudoribus madet aut eruptione constante laborat; sic tandem febris icterodes organa biliaria directè afficiens, in circumstantiis eorum functiones perturbantibus sese extendit.

Facultas contagiosa in singulis morbi stadiis non existit.

XXXIX. Si de viâ et modo transitionis morbi contagiosi in uno ad alium hominem nihil satis positivi datur, certior est sermo quandò de ejus morbosæ transmissionis exis-

(1) *Sarcone*, Maladies observées à Naples, t. 2. p. 52.

tentiâ agitur : saltèm ad illam admittendam plurimùm valet omnium temporum ac locorum observatio immutabiliter confirmata : sed non obliviscendum est singula morbi *communicabilis* stadia non esse ad contagionem spargendam capacia (1). Verè ut loquar, mihi oppositum se habet Clar. *Deberg*, dicens morbum cornigeri pecoris pestilentialem ad communicationem aptum esse simul ac germen susceptum est, et etiamsi omnia exteriora sanitatis phænomena adhuc prodeant (2). Si autem hic vir doctus contagionem occasione bovis cujusdam modò infecti sparsam observavit, probabilissimum est hanc propagationem, non portiunculæ contagii in animali jàm introductæ, sed alteri moleculæ super exteriorem ejus habitum adhuc depositæ attribuendam esse (XXXV) : et reapsè, non-ne à verisimili absona esset suppositio ejusdem contagiosi elementi *simul et in eodem tempore* extra et intùs eumdem ægrum agentis? Duo igitur tempora morbi apud contagio affectum cognosci et admitti debent, prius *concentra-*

---

(1) Humor in loco variolosæ insitionis captus, v. g., quinque aut sex diebus post operationem, novæ inoculationi non inservit, quamvis eodem modo et iisdem cautelis confectæ.

(2) Mémoires de la Soc. Roy. de Méd. 1777-78. p. 623.

tionis, et posterius *expansionis*, quibus satis rectè respondent elementa *nervosum* et *contagiosum* à Clar. *Berte* (1) delineata, et fortassè adhuc stadium *delitescentiæ* et stadium *actionis generalis* à *Rubinio* enunciata (2). A quodam auctore prius spatium *latens* (3), et posterius ab alio (4) *constitutionale* etiam dicuntur.

Quandò existit et quid exhibet primum stadium?

XL. Prius contagionis stadium habere locum supponi potest quando, systemate inhalante minuto, augetur et dominatur absorbens; cui rerum statui favent tempus digestionis incipientis, pathema versùs præcordia impellens, frigida tempestas calidæ succedens, solis occasus humorum expansioni derogans, omnia tandem cutaneam actionem cohibentia. Dùm hoc prius infectionis tempus subsistit, subjectus qui illâ afficitur, eam non communicat (XLIII). Quapropter, in hâc epochâ, omnia morbida symptomata simpliciter et valdè *nervosa* sunt. Omnis ægrotantis habitus

---

(1) Op. cit.

(2) Pietro *Rubini*, Rifflessioni sulle febbre chiamate Gialle, etc. p. 157. 166.

(3) Annales de Littérature Méd. étrang. t. IV. p. 549.

(4) Clar. J. *Ambri*. Vid. Giorn. Medico-Chirurg. di Parma, vol. VI. p. 154.

exterior siccitatem manifestam (5), sensibilitatem cutis plùs vel minùs læsam, et in eodem organo aut texto cellulari subjacente humorum stasim præsentat : uno verbo, in directione fluidorum atque in vitalibus solidorum motibus exhibetur inversio plùs minùs-ve completa è circumferentiâ ad centrum, undè nimia in visceribus internis plethora et angustia, et in eorum functionibus perturbatio sæpè tanta, ut vehemens et furiosum delirium apparuerit 8 vel 14 diebus antè febris contagiosæ cujusdam coustitutionem et veram explicationem; in cujus aliundè affectionis cursû idem delirium, statim ac decrescebat, remissiones, vel intermissiones adduxisse visum fuit (2). Ut primùm autem, morbo progrediente, atque mediante aut humoris morbidi dissolutione, aut partium anteà rigidiorum relaxatione, in istis ultimis partibus irregulares, non naturales et extraordinariæ secretiones, sive morbosæ excretiones producuntur, tunc febrilis affectionis contagiosæ secundum datur stadium per cujus tempus

De adventu stadii contagiosi.

(1) Indè cauteriorum et aliorum ulcerum præexistentium ariditas : etc. indè quoque periculum pro purgantibus in modum præseryationis haustis. *Sarcone*, t. 2. p. 150. 426.

(2) Ernest *Horn*, Saggio di osservazioni Cliniche, etc. *Vid.* Bibl. Med. Broun. Germanica, vol. XI. p. 101.

animalia

animalia et noxia effluvia, adhuc calore saturata ex ægri corpore exeunt, super ambientia sese deponunt, seu in aëre diffunduntur et perduntur.

Morbus contagiosus consistit in actione, 1.° suprà affectum, et 2.° suprà expositum.

XLI. Ex suprà dictis et ex admissione duarum periodorum in affectionibus contagiosis oppositarum, inferre possumus hos morbos generaliter consideratos consistere, 1.° in *causâ formali nervosâ* quam notant sensibilitatis cutaneæ alteratio, spasmodicus fibrarum cutis status, ac perspirationis perversio, et cujus existentia impressionem gravis ægritudinis in ipsomet infecto constituit; et 2.° in *causâ materiali* cujus effugium extrà eumdem ægrum, et ope consensûs ac contactûs cum partibus analogis alterius individui in morbidâ opportunitate solùm positi, apud istud posterius prioris affectum regenerat. Eadem duo stadia, eædemque mutationes in his contagii temporibus supervenientes ab illustri *Marco* agnoscuntur, et sub vocibus *Sthenici* pro uno et *Asthenici* pro altero appellantur. Expressè etiam addit hic auctor, dùm in statu Sthenico versatur morbus, non adhuc pestilentialem sese habere (1). = Milites quos dixi (XXVII) fuisse aliquandò repertos

(1) *Vid.* Biblioteca Medica Brouniana Germanica. vol. IV. p. 40.

peste laborantes in medio aliorum ægrotantium, et post se ac pro ultimis nullum germen noxium reliquisse, in primo contagii stadio indubitanter erant. Igitur sub duplici aspectû, id est, habitâ ratione et explicationis morbi in individuo infectione correpto, et explicationis ejus facultatis contagiosæ ergà alia corpora, consideranda est quæcumque affectio communicabilis.

Tempus quo sese ostendit contagium, apud ægrum, nec in omnibus morbis, nec in eodem morbo idem est.

XLII. Quonam tempore apud subjectum primitivè et jàm affectum sese declarant noxia miasmata? Istius apparitionis epocha à singulis affectionibus non eadem observatur. Inter equos, v. g., fluxus nasi contagiosus pro primorum suorum symptomatum ostensione 8 aut 10 dies postulat (1). = Virus variolarum insitum circà septimam, et per vias naturales introductum circà 10.^{am} aut 14.^{am} diem apparet. Quin etiam in primo casu, infectionis generalis symptomata non semper certâ die aut epochâ oculis exponuntur. Nàm apud doctum *Cussonium* (2) videntur pluria exempla citioris aut tardioris eruptionis. Egomet Alexandriæ (in Novâ Angliâ) anno 1791 curavi puerum 6 annos natum et cujus insitio variolosa tantùm post 4 hebdomades effectum

(1) *Paulet*, op. cit. t. 2. p. 307.

(2) Recherches sur les irrégularités de la petite Vérole inoculée, in-4.° 1788. p. 13, etc.

habuit. = Influxus ætatis senilis, regiminis mutati (1), Autumni, aut complicationis simultaneæ cum alio morbo exauthematico vel pyrectico (2) variolarum exitum variare et retardari etiam in causâ est. = Ex *Strackio* (3) ad petechialis veneni declarationem nullum esse præfixum tempus constat. = Febris rubeolosa ut plurimùm non erumpit nisi 3 aut 4 diebus post sui miasmatis susceptionem, et si citiùs vel seriùs invadit, periculosa symptomata sunt timenda (4). = Corpora vapore paludum noxio sauciata post 2 sive 3 dies, aut frequentissimè à 5.â vel 7.â ad 15.am diem ex eo ægrotant, ita ut febrile fermentum ordinem recidivarum intermittentium in suâ explicatione sequatur, et versùs primi aut secundi septenarii finem, secundùm suæ virulentiæ gradum, et fortassè quoque secun-

---

(1) *Ernestus Gottlob Bosc*, de miasmate morboso in corpore oberrante. Leipsik, in-4.° 1774. p. VII. VIII.

(2) M. F. . . . Observations sur la nature des Epidémies varioliques, etc. Genève. 1764. p. 180. = Journal de France, 1775. = Recueil de santé de Paris, tom. IV. = *Rubini*, op. cit. p. 149. = Videantur etiàm Transactiones Philosophicæ in quibus narratur variolarum insitio usque ad 5.am diem per rubeolam retardata. = Journal de Médecine, par *Sédillot*, t. IV. p. 459.

(3) De morbo cum petechiis. p. 78.

(4) *Baldinger*, Silloge, etc. t. IV. p. 44.

dùm viam suæ introductionis in nostrâ substantiâ, sese exercere videatur, quod accidit, v. g., in variolis, prout spontaneè vel mediante insitione invadunt, et in rabie, prout per viam aut sanguinis aut salivæ exoritur. Generaliter, aëris paludosi influentia eò promptior est, et febris eò magis indolem intermittentis seu remittentis offert, quò magis fœtet palus ex quâ avolat, et quò fortiùs discrepat vesperis frigiditas cum diurno calore (1). = Insuper existunt, aït *Strackius*, nonnulli subjecti, apud quos momento absorptionis miasmatis dyssenterici proximè succedit ejus manifestatio, dùm sunt alii 2 aut 3 diebus antè ejus externam declarationem illud retinentes. Hæc rapiditas, in istius morbi apparitione, adhuc datur accommodata quantitati molecularum quas æger sibi proprias reddere potuit (2). An igitur credendum esset observationi *Rushii* (3), ex quâ constaret à veneno contagioso sæpè creari febrem ferè momento ejus introductionis in corpore (XXXV)?

Undè hæc differentia?

XLIII. Hæc temporis diversitas, in plerorumque morborum exhibitione, adhuc

(1) *Baumes*, des Effluves marécageux, etc. p. XIX.

(2) *Strackius*, de Dyssenteriâ, p. 38.

(3) Vid. *Weikard*, Elementi di Medicina, Firenze, 1803. t. 6. p. 239. = *Baumes*, Méthode de guérir les maladies, p. 145.

sensibilior est in peste et in febre flavâ, de quibus non æquè certæ ac de aliis contagionibus assertiones enuntiari queunt. Hæc porrò incertitudo suprà *minimum* et *maximum* intervalli quod in universum insumitur ad miasmatis patefactionem (1), atque irregularitas in ejus symptomatum invasione, fortassè ex eo solùm proveniunt quòd corpora animata non sunt ejus contactui exposita nisi aliquantisper, mediatè et tantùm per vestes aut alias substantias inanimes, quibuscum continuò non habentur affinitates directæ. Indubitanter, ex hâc irregularitate, non semper miasmatis actioni attribuendâ, multi auctores cuidam morbo pestilentiali, antequàm se ostendat, usque ad 40 dies et etiam ampliùs indixerunt. Deniquè, ex ma-

(1) Quamvis tempus, in quo sese exercitat contages suprà corpus eam accipiens, fixo modo stabiliri nequeat, generaliter tamen observatur energema ejus effectuum respondere celeritati in illius patefactione habitæ, sive miasmata ex animatis corporibus directè procedunt, sive emanant ex substantiis inanimibus ubi ponuntur, et plùs minùsve diù inertia conservantur. Tandem adnotandum est, si pestilentialis contagio semper simplex esset, id est, si per unicam viam, ex. g. per organum cutaneum sese evolveret, probabile esse tempus inter susceptionem et apparitionem magis strictè decretum fore. Sed quoties per plures vias alias simul conjunctas absorbetur contagium? Et in hâc ultimâ suppositione facilè creditur morbum citiùs et graviùs communicandum esse.

joris probabilitatis gradu animadvertendum est morbos omnes contagiosos nec pari nec æquali pede procedere. Pestis orientalis, et febris flava, v. g., minorem à corporibus opportunitatem, ad sese exercendas, requirunt, quàm variolæ et lues venerea : undè aphoristico modo concludere licet morbos pestilentiales, primitivos, qui scilicet ab actione sex rerum non-naturalium pendent, et alios *per contagium* acquisitos, et tandem inter istos, qui ex infectione *collectivâ* aut *individuâ* procedunt, varietati in tempore apparitionis obnoxios esse.

Modus agendi contagis intra et extra corpus infectum difficilè explicatur.

XLIV. Contagiosum miasma in corpore animato depositum et sese exereens, retinetne primam suam indolem (1) ? Vel consistit-ne ejus actio in imprimendâ solidis aut fluidis quâdam modificatione, per cujus constitutionem et explicationem in corpore læso simul agere non valeat suprà altera corpora circumjacentia, sed cui operatæ succedat humoralis alteratio, quæ deindè causam materialem contagiosam et communicabilem cor-

---

(1) Hæc sententia arrideret si verum esset aut sanguinem nullam mutationem in substantiis heterogeneis inducere nec ab eis recipere, quandiù in suis canalibus fluit, aut easdem substantias extraneas non agere nisi contrà solas partes solidas. *Voy.* Annales de Litt. Méd. étrang. t. IV. p. 36. 38.

poribus cum jàm infecto convenientibus, suppeditare possit ? Si responsio his quæstionibus plùs quàm ardua est, saltem earum solutionem tentare et sperare fas est, modò observationibus è morborum contagiosorum generalitate excerptis demonstretur ultimam harum affectionum periodum à primâ diversam exhiberi, mediante quâdam facultate contrariâ, et modò ex eo admittatur miasma, eas producens, in toto illarum decursu non continuò idem esse aut in naturâ aut in actu (1). Atqui patet morbos omnes contagii capaces, sese exercendo duntaxat in subjectum infectione correptum, primum suum stadium consumere (XXXIX. XL.); aut, quod idem est, constans videtur pro aliis corpori-

(1) Mea assertio generalior est olim enunciatâ à Soc. Reg. Med. Parisiensi, per quam hæc illustris Academia (nunc pro utilitate publicâ splendore suo antiquo radiata reviviscens) dicebat : « Il y a plusieurs affections » contagieuses qui, dans leur premier temps, n'offrent » aucun principe de contagion, et dans lesquelles il pa» raît s'en développer un lorsqu'elles ont acquis une » grande intensité. » Meis enim subsequentibus ideis, si claræ ac justæ sint, constabit in omni contagioso morbo dari unum stadium pro individuo infecto, alterumque stadium pro individuo inficiendo. Hæc duo tempora in diuturnitate et vehementiâ differre queunt; semper autem existunt, nisi primi stadii symptomata præter modum exaltata, antè secundi invasionem mortem inducant.

bus non adhuc affectis non esse communicabiles nisi in suo ultimo stadio, sub voce *elementi contagiosi* alibì designato. Hâc proximâ assertione confisus et nixus, sequentes adnotationes et variis morbis contagiosis relativas aggrediar.

Exempla morborum non in primo, sed in ultimo stadio contagiosorum.

XLV. In primo statu (inflammatorio scilicet) non est contagiosa nasorum lues, in equis dicta *Morve*, si non adest fluxus. . . . Sanus equus cum alio istâ ægritudine in *ultimo gradu* affecto degens, eâ citiùs quàm in aliis casibus corripitur (1)... = In epizootiâ cornigerorum ab *Abildguard* delineatâ, facultas contagiosa, medio tussis ad 5 aut 6.am diem supervenientis et ad 7.am vel 8.am maximè intensæ, effectum suum ostendebat (2). = Contra spontaneam variolosam contagionem nulla cautio, juxtâ D.rem *Paulet* (3), capienda est, nisi ab eruptionis abscedentiâ usque ad scabritierum decidentiam (4). Ex Camperio (5) variolosa mate-

(1) *Paulet*, op. cit. t. 2. p. 307. 355.

(2) Gazette salutaire, 1788. n.° XIV.

(3) Gazette littéraire de l'Europe, 1768. n.° XII. p. 179. = Gazette salutaire, 1785. n.° XLV.

(4) *Menuret*, action de l'air dans les maladies contagieuses, p. 97.

(5) Nutrices lactantibus, et fratres aliis fratribus antè

ries contagiosam indolem non possidet nisi quandò halitus ægrotantis fœtet, et præsertìm in momento veneni variolosi per febrem exaltati, aut in casu variolarum copiosarum vel confluentium (1). *Dennmann* pariter affirmat materiem variolosam contagii capacem sese dare tantùm secundariâ febri ineunte; et addit prætereà ejus absorptionem in isto tempore, apud gravidam mulierem morbidæ sanguinis mutationi, et fœtûs infectioni ansam præbere (2). == Rubeolosum virus circà 9.um vel 10.um diem ab eruptione facultatem suam contagiosam exercere etiam videtur. Nam, « notavi, ait Andreas Loew (3), » quandò unus aut duo in domo morbillos » superârunt, decimo demùm quarto aut » quinto alios ejusdem domûs in ægrotan- » tium locum successisse, adeòque morbillo- » sum contagium serpens à 14 in 14 deli- » tuisse ac substitisse. » Hìc numerat *Loew* 14 vel 15 dies, quia confundit 1.° tempus à susceptione miasmatis rubeolosi usque ad

---

suppurationis tempus contagionem variolosam tradere non visi fuerunt. *Heberden*, *Voy.* Annales de littérature méd. étrang. t. IV. p. 16.

(1) Ann. de litt. Méd. étr. t. IV. p. 521.

(2) Pratique des accouchemens, t. 2. p. 333.

(3) Histor. epid. Hungariæ, p. 27. *Vid.* Acta curiosorum, etc. vol. 1.

febrim, quod est 3 aut 4 dierum (XLII): 2.° tempus à febri ad eruptionem, pariter 3 aut 4 dierum; 3.° tandem à fine eruptionis usque ad ejus ferè perfectam extinctionem, quæ est à 7 ad 9 dies. = *Maretus* scripsit in epidemiâ quâdam pulmonarium fluxionum contagiosâ et putridâ (1) morbum sese transmisisse solummodò in crisis confectæ epochâ. = Purulenta pulmonum phtysis maximè contagiosa adest, aliæque ejus species eamdem proprietatem tenent, cùm in statu augmenti occurrunt (2). Pariter affirmat *Ontydius* eamdem tabem in suo primo gradu nulliter esse *communicabilem*, sed secùs rem se habere quandò confirmatam sese præbet; et idem Medicus addit, tunc ejus potentiam *inficientem* existere in ratione celeritatis ac vehementiæ quibuscum progreditur iste morbus (3). Istâ igitur epochâ, pulmonum phtysis proprietatem insigniter contagiosam possidere et patefacere potest, præsertim ergà eos qui dispositionem ad hunc affectum hæreditariam in se continent (4). = *Cadwalder Colden* in epis-

---

(1) Académie de Dijon. 1784. p. 5.

(2) *Evers*. De phtysico contagio. *Voy*. Gazette salut. 1783. n.° XLIV.

(3) Ann. de litt. Méd. étr. t. 2. p. 29.

(4) Biblioth. Britannique, t. 27. p. 346.

tolâ ad D.rem *Fothergillium* epidemicam et contagiosam faucium læsionem Kingstown (in Nova Angliâ) grassantem memorans, expressis verbis asserit eumdem morbum non pro adstantibus periculosum evadere, nisi ægris cum morte luctantibus (1). = Eadem sentit *Godardus* de plerisque febribus quarum propagationem aut susceptionem, deficiente crisi, vel ægrotante in ultimis posito, sive etiam modò mortuo, perfaciliorem occurrere declarat (2).

XLVI. De miliaris epidemiæ contagione, J. P. *Frankius* solùm illam admittit in statûs febrilis existentiâ et expansione, id est, mediante febre *constitutionali* quæ secundùm hunc auctorem suà naturâ eò contagiosior sese præstat, quò magis est *continens* (3). Ex hâc ideâ pesti et febri flavæ applicatâ, cogitationes et conjecturæ meæ in eo lubenter versarentur quòd hæ duæ pestilentiæ, quæ per sua duo præcipua stadia non transirent (XXXIX. XL), contagiosâ facultate expertes forent: et reipsâ, earum *communicabilitas* eò magis ex febrili caractere dependens videtur, quò magis 1.° apparere solent in temporibus et

Contagium ab indole febrili morborum pendet.

(1) Medical observations and inquiries. t. 1. p. 216.

(2) Dissert. sur les Antiseptiques, p. 385.

(3) Epitome de curand. hom. morbis. t. 3. p. 138.

locis ubi regnant ferè exclusoriè febres intermittentes ac remittentes biliosæ, sicut et apud personas quarum idyosincrasia actioni circumstantiarum ad stabiliendam constitutionem biliosam majorem ansam offert; et 2.° earum contagiosa vis semper in ratione versâ cum affectionis febrilis continuitate (1) sese præbet. Hînc fortè discrepat miasma variolosum cujus invasio in temporibus et subjectis parùm biliosis, et hâc ratione non æquè ac febris flavæ insultus, ex conditione quâdam manifestâ caloris aut frigoris et humiditatis in aëre constituitur (2).

Continuatur argumentum præcedens (XLV).

XLVII. In epidemiâ Neapolitanâ 1764-65, infectionis periculum majus erat, quandò in ejus summo gradu, cutis petechiis obtecta sese dabat, alvinæque putridæ et copiosæ evacuationes vel sudores fœtebant (3). = Expressè nos docet *Mangetus*, in familiis inquinatis à peste, alios, anteà incolumes, duntaxàt in morbum cadere, cùm primi

---

(1) Propterea, facultas contagiosa indolem Typhi *acuti* propriam facit, ejusque differentiam cum febre *lenta* nervosa designat. *Eisfeld* de typho acuto. *V. Brera* Silloge, etc. t. 6. p. 39.

(2) *Frank.* epitome, etc. t. 3. p. 175.

(3) *Sarcone.* t. 2. p. 50. 51. 420. = *Luxam* de aëre et morb. epid. 1742. p. 27. = *Lind.* Fièvres contagieuses, p. 120.

ægrotantes in ultimis aderant (1). = *Sorbaitus* de peste Vindebonensi loquens narrat, simul ac membrum unius familiæ quodlibet eâ afficiebatur, hanc horrendam affectionem, sese communicando de alio in aliud circà nonam diem, et aliquandò citiùs, progressus suos manifestare (2). = *Jaksonius* autumat functiones organorum *normales* in febre flavâ, præsertim circà quindecim dies post miasmatis declarationem, et potiùs in hoc stadio quàm in alio perturbari. (3). = Sic etiam sentit *Clarkus* febrem istam icterodem non initio, sed in suo *statu* esse contagiosam (4). = Generaliter loquendo, pestilentiales morbi in secundo aut tertio suo tempore ad communicandam suam contagionem satiùs habiles videntur. Nàm, inquit *Pugnetus* (5), in navibus aut ædibus è quibus ægri, febre flavâ laborantes, accuratè et promptè removebantur, perpauci istius morbi deleterii casus observati fuerunt, dùm ædificia, ubi ægrotantes per totum suæ ægritudinis

(1) Bibl. Med. prat. t. 4. p. 63. 68.

(2) *Wanswieten*, Commentaria, etc. t. 5. p. 168.

(3) Journal de Médecine, par *Corvisard*, etc. t. X. p. 321.

(4) Pietro *Rubini*, Rifflessioni sulle febre gialla, p. 13.

(5) Maladies insidieuses, etc. p. 394.

decursum remanebant, penitùs inquinata sese ostendebant, et ferè omnes, qui eos attendebant aut cum illis ministerii relationes implebant, inficiebantur. = Ego ipse annotavi pestiferos milites exercitûs Gallici in Ægypto, quos status adhuc *dubius* contagionis inter alios ægros retinebat, post se nullum miasma reliquisse, cùm positiva infectionis signa eorum exitum et in nosocomium *Lazareth* dictum translationem requirebant, modò tamen lectuli eorum integri fuerint ablati. = Utilitas supra dictorum saltem et præcipuè depromitur ex consilio *Hoffmannii* ad Medicos quibus hic practicus commendat ut non facilè diù immorentur vel adsistant ipsis ægris, *quando morti sunt proximi* (1).

XLVIII. Pateret-ne ex istis observationibus quidam consensus cum observationibus super viperæ venenum factis, ex quibus morsus istius serpentis plùs vel minùs discriminis portenderet, prout venenatus ejus humor ex majori aut minori temporis intervallo secretus foret ? Nàm statim post ejus secretionem factus, raró lethalis est (2).

XLIX. Ex suprà allatis (XLI. XLVI)

---

(1) Opera omnia. suppl. 1. pars 2.a Medicus Politicus, p. 415.

(2) *Wilson.* Influence of climate. p. 161.

annotationibus plùs sivè minus certis et pertinentibus ad morbos contagiosos in quorum classe præsertìm enumerandæ sunt pestis orientalis et febris flava, fateri debeo parùm concinnitatis et regularitatis occurrere in diuturnitate eorum præcipuorum duorum stadiorum et in invasione epochæ cùm eorum facultas contagiosa metuenda esse incipit (1). Verùm, invitâ hâc dubitatione, observationes præcedentes perutiles erunt, in eò quòd ex eis concludi datur existentia temporis unius per quod actio horum morborum *centripeta* individuo ægrotanti singularis et unicè propria adest, et alterius temporis per quod eorum actio *centrifuga* vel *expansiva* tendit ad sese dirigendum et exercendum versùs et in corpora adhuc incolumia, sed exposita infectioni cujus primitùs ægrotantes plùs vel minus grandem fomitem offerunt. Forsan ex actione aut *centripetâ* aut *expansivâ*, utrâque contagiosis morbis communi, derivanda est differentia, quæ inter *contagiones* et *venena* existit naturalis. In istis enim posterioribus, concipi potest et debet actio *expansiva* deficiens; siquidem tàm promptos effectus ordinariè exhibent, ut eis laborantes soli exer-

Conclusio ex suprà dictis.

---

(1) De hâc irregularitate legantur dicta in *annales de litt. Méd. étr.* t. 4. p. 549.

ceantur, et antè stadii contagiosi explicationem pereant; et si non mortem obeunt, saltem eorum partes à veneno contactæ et imbutæ diù languescunt, nulliter reagunt, vel etiam vitalitatem penitùs amittunt.

Quandò cessat contagiosa morbi facultas?

L. Nunc desiderarem statuere periodum morbi in quâ cessat facultas ejus contagiosa. Sed quomodò hunc novum Gordium nodum solvere queam? Ægroti, in suâ à statu morboso recreatione, linteaminibus et vestibus (plerumque non mutatis) obrui non desinunt; et indè, quod noxium in seipsis habent pro adstantibus, semper pro illis ipsis tale existere potest medio harum substantiarum inanimium. Aliter, fortasse possibile esset asserere de hominibus modò contagio affectis quod assertum est de pecoribus morbo pestilentiali recèns correptis, scilicet, excretiones, quæ durante morbo materiem contagiosissimam suppeditabant, perfectè innocuas fieri in statu et tempore recreationis à morbo, et etiam statim ac quælibet crisis exorta est (1).

Transmissio contagii de animali quodam ad

LI. Communicabilitate contagionis suppositâ, possum-ne in medium adducere morbum

(1) Hist. de la Soc. Roy. de Méd. 1777. p. 167. = Hìc autem questio est de potentiâ contagii in ægros, non verò in adstantes adhuc illæsos. In alio enim loco dixi tempus crisium pro morborum communicatione periculosissimum esse, etc.

contagiosum,

contagiosum, animalibus unius speciei familiarem et ferè proprium, apud animalia diversæ speciei sub eâdem formâ propagari? Ut huic quæstioni rectè respondeatur, adhuc necesse fit recurrere arti hippiatricæ, et præcipuè mentionem facere documentorum ex variis insitionibus emanantium.

aliud speciei diversæ.

LII. Humoris cujusdam contagiosi inoculatio ex animali ad aliud ejusdem speciei in posteriore morbum morbo prioris similem et æqualiter communicabilem producet. Verùm si super animalia diversi generis instituitur hæc operatio, effectus ejus erunt diversi. Sic boum (in Aquitaniâ et anno 1775) ex epizootiâ ægrotantium humor morbidus transmissus in alios boves eadem symptomata idemque periculum produxit; tribus autem ovibus insitus, in istis non præbuit morbum contagiosum sub eâdem formâ ac in bobus, sed per gangrænam in loco puncturarum supervenientem illas interemit (1). = *Camperii* observatio magis positiva datur. Ex eâ enim constat analogam luem cornigeri pecoris non esse pro equis, ovibus et capris contagiosam, quamvis hæc ultima animalia eisdem pabulis alantur et in eisdem locis cum bobus ma-

Arte transmissum in diverso animali variè agit contagium.

(1) *Paulet*. Opere cit. t. 2. p. 267.

neant (1). Idem legitur apud *Pauletum* (2) et etiam in Annalibus societatis Regiæ Medicæ Parisiensis (3). Ex quibus consequitur pro contagione perfectâ necessarias esse consensionem et identitatem 1.° *in usu plurium* ex sex rebus non-naturalibus, et 2.° in *statu organisationis* partium quæ miasma suscipere debent.

De contagii transmissione ex animalibus in homines.

LIII. Nunc de animalium morborum degeneratione per eorum transmigrationem in homines et vice versâ, pauca dicantur. Sæpissimè ab ovibus quæ curantur pro anthracibus, pastores accipiunt istos tumores malignos; sed hi carbunculi secundarii non eamdem habent naturam ac in pecoribus: similibus enim suis non eos communicant opiliones (4). Idem observatum fuit occasione anthracum, etiam letalium, quos acceperunt quidam laniones ex bobus eâdem læsione fectis (5).=In Ægypto, animadverti plurimos equites, *Dromadaires* nominatos, à Camelis,

---

(1) Gazette salutaire. 1784. n.° XXVII.

(2) Op. cit. t. 2. p. 365.

(3) Année 1777. p. 167.

(4) *Paulet*, op. cit. t. 2. p. 267.=*Leclerc*, Hist. Nat. de l'hom. malade. t. 2. p. 431.

(5) Recherches, mémoires et observations sur les maladies épizootiques de St.-Domingue, etc., par le Cercle des Philadelphes du Cap Français, vol. 1.er, 1788.

quibus familiariter et totâ ferè die insidebant, scabiem contrahentes : sed nullos ex iisdem equitibus observavi, qui hanc psoram communicassent aliis militibus, inter quos hic cutaneus morbus rarissimus erat. = Medicus quidam Anglus (1) nuper asseruit ex duodecim personis à cane rabioso morsis tres aut quatuor solùm reapsè hydrophobos evasisse (2), à canis verò rabidi veneno per ejus morsiunculam in alios canes introducto, omnes istos inquinatos fuisse. Hìc annotetur quoque in bove ac in cane virus hydrophobicum antè nonam diem manifestari, in homine autem sæpè ejus actionem tardiùs expandi (3). Tandem commonet *Moreschius* (4) ab animalibus *herbivoris* dictis rabiem accipi, verùm non transmitti posse. Si nihil contrarii his dictis opponeretur, suspicari deberemus morsum rabidi hominis super ejus similes, quàm super alterius speciei animalia (5),

(1) Bibl. med. Broun. Germanica. vol. 4. p. 18.

(2) Hæc annotatio non fuit omissa à *Fracastorio*. de morb. contag. cap. X. p. 173.

(3) *Enaux* et *Chaussier*, manière de traiter les morsures des chiens enragés, etc. p. 27.

(4) Della Milza. p. 145. = *Bouriat*, recherches sur la rage, in-12. Paris, 1809. p. 9.

(5) Jàm id partim confirmatur ex experimentis Chirurgi *Giraud*, cujus reapsè insitiones, cum salivâ fu-

multò efficaciorem et graviorem fore; et tamen, hìc addendum est rabiem apud humanam speciem eò periculosiorem fieri, quò pro suâ evolutione et declaratione (1) majorem difficultatem experta fuerit. = Si adhuc de altero veneni animalis genere, et de modificatione quam ex aliâ in aliam animalium speciem transeundo subit, prolixior sermo desideraretur, sequentes animadversiones fortassè aliquid grati ac utilis haberent. = Virus Vaccinæ de homine in ovem transferri et activum fieri valet; de istâ autem deinceps sumptum et super aliam ovem insitum, nihil ampliùs agit (2). = *Hunterus* inutiliter intromisit materiem purulentam gonorrheæ, bubonis aut ulceris syphillitici in vulvam canum et asinarum, aut subter præputium earum masculorum, aut, ope incisionis, inter singulorum cutem (3). Quinimò, narrationi cu-

---

rentium hydrophoborum in multos canes, irritæ existiterunt. *Alibert*, Mat. Méd. 1.ère édit. tom. 2. pag. 414. (XXXIV).

(1) *Sauvages*, de la Rage. = Hìc agitur de hydrophobiâ transmissâ ex bestiis, et non ex hominibus in homines : etenim morsus ab homine rabido factus minùs est terrendus, quàm quandò à cane vel lupo accipitur. *Ibid.* p. 45.

(2) *Murat*, de la vaccination des moutons. 1808. p. 7. 17.

(3) Maladies Vénériennes. p. 23.

jusdam anonymi Viatoris fide concessâ, ejusque dicti, quamvis indecori, repetitione permissâ, apud quamdam regionem gonorrhæico morbo recentèr laborantes ex reiteratâ partis morbosæ intromissione in vaginam asinæ, præsertim catulientis, curationem obtinent (1).

LIV. Ipsimet homines ægrotantes aliquid suæ affectionis communicare queunt animalibus, apud quæ tamen primitiva morbi natura non eadem exhibetur (2). Etenim in *Chronicâ* Gothofredi, 1655, legitur homines ex usu piscium jàm in lacubus mortuorum morbum pestilentialem acquisivisse, dùm canes omnes, qui istorum cadavera devoraverant, rabiem acceperunt. = In tempore pestis Moscuæ, 1770, inter canes venaticos grassatus fuit morbus contagiosus, qui verò (quantùm scivit *Orœus*) nunquam anteà observatus pestem humanam excepit, et pro symptomatibus glandulas colli, subaxillares et inguinales, intumescentes, aut in earum loco diarrhæas exhibuit (3). Procul dubio, probabile est hanc pestem caninam ex humanâ

Ex hominibus ad animalia.

(1) Essais philosophiques, etc. p. 247.

(2) *Menuret*, op. cit. p. 55.

(2) *Orœüs*, descriptio pestis Jassiæ et Moscuæ, etc. p. 155.

originem trahere. Insuper cùm hæc affectio, pro canibus contagiosissima, non hominibus posthàc sese communicaret, quamvis inter priores, et etiam post humanæ pestis cessationem diù continuans, indè crederetur contagionem, ex uno in aliud animalium genus transmissam, non aptam fore ad novam introductionem in corpora animata è quibus ortum suscepisset, et consequenter ista, si ejusdem morbi novum insultum experirentur, ab alio, sed suæ ejusdem speciei, animali illum rursùs recepisse.

Contages in eâdem specie animalium non imminuitur.

LV. Diversæ observationes suprà allatæ sufficiente et generali modo confirmant morbum contagiosum, sese transferendo ex unâ ad alteram *variam* animalium speciem, aliquid suæ *communicabilitatis* in ultimâ specie amittere, et sic minùs contagiosam evadere. Sed hæc virtutis imminutio ut plurimùm locum non habet, cùm miasmata ex uno ad aliud individuum *ejusdem speciei* transmigrant. Quamobrem homines inter se suos morbos propagare queunt; semper autem, ut id fiat, requiruntur conditiones quarum conjunctio necessaria est pro perficiendâ contagione, et hanc rem illicò aggredior.

Ad hoc 1.a conditio, contactus.

LVI. Et primùm utriusque corporis (ægri et expositi) exigitur directus contactus. Nihilominùs tamen, observabitur hunc

contactum in approximatione absolutâ et completâ non semper consistere (1); nàm adsunt casus ubi persona quædam, ægro nimis vicina et aliquo modo particulari ejus atmosphærâ se circumdans, eâdem morbidâ affectione corripi potest, quamvis eum non tetigerit. De hoc enim audiatur interpres (ab Anglo in Italum) operis *Mathæi Carrey* (2). « In Dialetto sanitativo la parola » *contatto* non denota soltanto l'appulso di » corpo a corpo, ma anco quell'eccessiva » prossimità, per la quale le atmosfere de' » due corpi possono giungere a confondersi, » e per cui l'attività degli effluvi di un corpo » contaminato giunge ad alterar l'altro sano ». Et reapsè, id evenit Baccalaureo amico Custodis Franciscani, anginâ contagiosâ laborantis, cujusque volens olfacere corpus, ut sciret an fetor, de quo æger continuò querebatur, verus esset aut an ab imaginatione ejus prodiret, obsequio suo acquisivit anginam Religiosi et mortem in quartâ die (3).

---

(1) *Fordyce*; *Voy*. Annal. de litt. Méd. étr. t. 3. p. 115. = *Deralte*; *Voy*. Biblioth. Franç. 4.e année, 7.e livrais. p. 23.

(2) Descrizione della febbre Gialla nella cita di Filadelfia. Genova, 1804. p. 4.

(3) *Conradi*, Anatomia patologica, traduzione Ital. t. 2. p. 110.

= Celebris *Paræus* ipsemet grande periculum incurrit, propterea quòd paucas cautiones adhibuit contrà vapores cujusdam ægri peste contacti, et cujus corpus præcipitanter nudabat (1). = Insuper, mihi relatum fuit Seniorem Medicum Hispanum, postquàm febri flavæ sese diù subtraxisset, eâ tentatum se sensisse ac declarasse, statim ac respiravit halitum Matronæ isto morbo afflictæ, et cujus lingua manifestam oculis læsionem præbebat. = Prætereà quotiès insultus novi morborum pestilentialium calidis et coacervatis vaporibus, è corpore infecto manantibus et aliud vicinum subeuntibus, non attributi fuerunt (2)? Et reipsâ, non-ne admittenda est communicatio etiam directa (ut suprà notatur) quandò corporis ægri et alterius ad infectionem dispositi atmospheræ sunt inter se junctæ et gradu caloris ac humiditatis sufficiente præditæ (3)?

-2.a Conditio, certus gradus hu- LVII. Hæc ultima temperiei circumstantia, in atmospherâ unicuique corpori viventi

(1) Liv. 1. de la peste. Chap. 12.

(2) *Frank*, della febbre nervosa. *V*. Bibliot. Med. Browniana Germanica. vol. 1. p. 40.

(3) Quandiù substantiæ animales, quarum atmospheræ irritabiles Clar. *Humbolto* visibiles fuerunt, principium vitæ possident, inter se per distantiam agere valent. Journ. de *Sédillot*, t. IV. p. 477.

propriâ, necessaria datur effectui ex approximatione duorum aut plurium individuorum producendo. Aliter, mediante frigore, v. g., corporis morbosi facultas *expansiva* imminueretur, et præterea miasmata ex illo effluentia non sufficienter conservarent formam vapidam pro suâ ulteriore in aliud corpus introductione requisitam, sic adhærerent vel super partes ea suppeditantes, vel in superficie corporis ubi deponerentur, et tandem ex hoc momento experirentur actionem ventilationis atmosphericæ, affrictuum exteriorum, aut mixtionis cum perspirabili humore. Ad hoc adjiciatur quod dictum fuit in vice versâ de statu quodam siccitatis, eorumdem miasmatum, quamvis aëriformium, insertioni in nostras partes sese opponentis (XXXIV).

miditatis in aporrhocis morbidis.

Utilitas et necessitas concursûs *caloris humidi* (XXXIV) ad propagationem morbiferorum miasmatum adjuvandam, non-ne confirmarentur ex consilio *Lindii* ut nunquàm in aquâ fervidâ vestes et linteanima contagiosorum febricitantium primùm immergantur (quicunque enim hoc munus explerent, pericula certa vapore nocivo ex his substantiis emanante incurrerent), sed ut anteà in aquam frigidam mittantur (1)? Indè concludere

(1) Fièvres contagieuses, p. 89.

liceret ægros, in ultimo suæ contagiosæ affectionis stadio se præstantes, potiùs quàm ex eâdem defunctos, fomitem periculosum oblaturos fore ob duplicem rationem, 1.° ex vitâ in primis adhuc exercitâ facultatem assimilandi et inficiendi exaugeri (1), et 2.° è corporibus viventibus sed in ægritudine versantibus majorem quàm è cadaveribus effluviorum quantitatem exhalari (2). Quin etiam, in gratiâ istius opinionis roborandæ, fortassè sufficiet commemoratio impunitatis quâcum vespillo, de quo loquitur *Skenkius* (3), juvenculæ vix animam efflantis corpus iniit. De reliquo, cùm discrimen infectionis ab ægris, aut convalescentibus, aut adhuc viventibus inccurrendæ, satiùs linteis et vestibus illos cooperientibus (4) referendum sit, pariter contagii explosio, sæpiùs defunctis attributa, non nisi è contactu cum quibusdam istorum linteaminibus inquinatis dependens probabiliùs credenda est (XIV).

-3.a Conditio: relationes, analogia, affinitates

LVIII. Præter statum caloris, simul et humiditatis in temperie atmosphæræ ægrotan-

---

(1) *Goddard*, op. cit. *Voy*. Mém. de l'Acad. de Dijon. 1785. p: 374.

(2) *Menuret*, op. cit. p. 51.

(3) Observat. médic. p. 879.

(4) *Huxam*, de aëre et epid. morb. vol. 2. p. 67.

tium pro germinum pestiferorum translatione necessarium, corpus illa accipiens cum corpore ea præbente analogiam temperamenti, et affinitates functionum aut structuræ in diversis partibus offerre debet (1). Istius principii causâ asserere possumus ac debemus physicas omnes et morales mutationes nobis supervenientes ad contagiosæ facultatis acquisitionem tendere, in ratione relationum plùs minùs-ve proximarum quas inter nos reciprocas exhibemus, sicut et in ratione analogiarum et similitudinum quæ in mentis nostræ indole aut partium nostrarum *organismo* existunt (2). Verum igitur constat, si singuli homines similem *organisationem* præberent, regimen idem ac pro cunctis uniforme tenerent, et tandem nunquam occurrerent nisi in circumstantiis pro unoquoque

temperamenti, functionum et structuræ.

(1) Hæc functionum et structuræ plùs vel minùs exacta relatio, inter infectum et expositum existens, format quod vocatur *opportunitas* posterioris ad contrahendam *per contagium* prioris ægritudinem ; et quandiu se præstabit hæc opportunitas, metuenda erit susceptio morbi, quo laborat ægrotans quocum quædam veræ et manifestæ consensiones habentur ; et insuper quandiù hæc semper eadem aptitudo conservabitur, in debellando morbo viâ contagiosâ prehenso major difficultas erit : saltem sic autumat *Ontydius* de phtysi pulmonari. *Voy*. Ann. de litt. Méd. étr. t. 2. p. 28.

(2) Voy. *Pugnet*, des fièvres insidieuses, etc. p. 390.

iisdem, epidemias frequentiores et contagiones absolutiores fore : quæ sequentibus fortasse extrà controversiam adduci poterunt.

Quod probatur per epizootiarum, epidemiarum, et contagionum de uno ad alterum subjectum transmissionem.

LIX. Et primùm, communicabiles epizootiæ adveniunt frequentiores, generaliores ac graviores quàm contagiosæ epidemiæ, quoniam armenta in regimine uniuscujusque individui minorem differentiam exhibent, dùm è contrà singuli homines idyosincrasiâ particulari et ex variis occupationibus consequente, diversâ degendi ratione, statu animæ dissimili, etc. compotes sese præbent. Quoad alia bruta, sejunctìm vel minùs gregatìm viventia, rarissimas contagiones inter se admittunt; et exindè apud illa minùs est frequens febris (1), quæ inter homines, mutuis relationibus et ferè eidem organisationi obnoxios, contagioso modo haud infrequenter sese spargit. = Magis uniforme, simile et minùs coacervatum vitæ genus primos Patriarchas minùs sese influentes et eo ipso contagiosis morbis minùs expositos pariter efficiebat. = Imò, boves in Hungariâ multo sale nutriti, et ex hâc regione Hollandiam petentes, non susceperunt morbum epizooticum in istâ pos-

(1) Miscellanea physico-medica ex Academiis Germanicis deprompta, t. 1. de frequentiâ morborum in corpore humano præ brutis. p. 96.

teriore provinciâ anno 1770 regnantem, quamvis cum bobus indigenis et jàm ægris in eodem bubili inclusi fuissent (1). = Febris petechialis, de quâ loquitur Hoffmannius (2), solùm contagiosa fuit pro *militibus qui similem perfrigerationem eodem tempore passi fuerunt, et qui in eâdem circumstantiarum sphærâ* versati jacuerunt, dùm è contrario, hæc eadem affectio aliis personis, etiam eamdem domum habitantibus pepercit. = Hæc circumstantiarum identitas apud puerperas in unico nosocodomiorum conclavi aggregatas et inclusas, (LXIII) sæpè febre puerperali, epidemicè et contagiosè ibi regnante, correptas prodit, dùm, apud fœminas sejunctas et extrà valetudinaria publica curatas, rara et solùm sporadica apparet. = Denique per hanc regiminis, functionum, laborum, dolorum etc. similitudinem producuntur consensualia et sympathica symptomata, de quibus cum *Joanne Theophylo de Meza* petere fas est « Num forsan *consensui et sympathiæ* » tribuenda mali (febris puerperarum) pro» pagatio? Haud equidem ita absonum vi» detur : etenim in nosochodomio sæpissimè » unâ querente de dolore lateris dextri,

---

(1) *Paulet*, oper. cit. t. 2. p. 16.

(2) Opera omnia medica. t. 2. p. 84.

» statim altera audiebatur eamdem profe-
» rens querelam. Hæc nauseas et oppressio-
» nes circà præcordia incusans, altera de
» iisdem querebatur quoque ». Inferiùs, sic effatur idem auctor de his sympathiis : « Os-
» citante uno oscitat et alter; sic per mirum
» hominum consensum ridemus cum riden-
» tibus, flemus cum flentibus » . . . . . . , tandem sequentibus verbis ità concludit : « morbi verò propagatio non propriè in qualitate aëris noxiâ, sed in consensu sympathico quærenda » (1). = Forsitan verò, ex sequente particulari casu faciliùs concipietur et magis confirmabitur, quàm ex variis modò allatis observationibus, clara et vera idea contagionis per structuræ, functionum, regiminis, etc. identitatem susceptæ. Duo gemelli ope meâ et deinceps in intervallo *semi-horæ* nati. . . eidem nutrici traduntur. . . Sic pro utroque aër, habitaculum, cibus etc. omnia communia et eadem fiunt. . . In ista positione singulari, relationes et affinitates reciprocæ inter hos duos infantes tàm proximæ ac directæ erant, ut (ex sententiâ meâ) quandò unus benè valebat, alter pariter benè valere deberet et vice versâ. . . Reapsè,

Singulare exemplum identitatis functionum etc. contagi favere capacis.

---

(1) Tractatio de quibusdam, etc. etc. ad artem obstetriciam spectantibus, etc. Haffniæ 1783. p. 116. 118.

in primo mense vita et sanitas in ambobus eadem et uniformia symptomata præbebant... Sed eheu ! post hoc temporis intervallum unus affectione convulsiva laborat... et alter eâdem brevi corripitur. . . prior fatis concedit, et post *semi-horam* posterior eamdem sortem subit. Itaque, si induci posset similis identitas organisationis, functionum, etc. inter 6, 12, 24, 50, 100, etc. homines, sicut existebat inter duos suprà dictos gemellos, non-ne jure quidem ac meritò propagatio morbidi affectûs ex uno ad alios prompta et facilis formidanda esset; et eo ipso, non-ne perfectum contagii exemplum expectandum foret ?

Affinitates et sympathiæ inter corpora humana augentur in calamitatibus publicis.

LX. Semper de effectu affinitatum et sympathiarum inter corpora humana rationem in eamdem loquens, animadversioni offeram, per horrores belli, cùm unusquisque malè vivit, omnes ferè idem regimen tenent, et eosdem labores, easdem anxietates, privationes ac miserias participant; atque per calamitates publicas, in quibus ejusdem civitatis incolæ, ejusdem exercitûs milites circumstantiis æqualiter arduis obruuntur singuli, et eidem animi contentionis, aut languoris conditioni omnes subjiciuntur, plærosque pariter videri expositos insultibus cujusquam morbi, qui inter eos grassatur (secundùm actionem

quarumdam circumstantiarum, loci, temporis, idiosynerasiæ conjunctarum), et qui nec epidemicus nec contagiosus foret, si superveniret in aliis occasionibus sub quibus exercitium, labores, negotia, regimen, vita, etc. pro unoquoque discreparent. Non-ne ex hâc dissimili positione, vulnerati Galli milites, in suis nosodochiis et post Heliopolitanum certamen quasdam typhi icterodes tentationes soli obtulerunt, dùm ægrotantes alii, debilitantibus ac infaustis circumstantiis in physico et in morali multò minùs lacessiti, nullum ejusdem febris accidens præbuerunt? Non-ne igitur paritati atque identitati statûs, toti cuidam genti aut turbæ aggregatæ communis, justè et rectè attribuendi sunt adventus ac progressus morbi cujuslibet popularis, non verò pravæ soli qualitati ciborum, v. g. Oryzæ, cui Europæorum hoc grano diù nutritorum mortalitatem exclusoriè nonnulli imputaverunt? itaque, fateamur *Naturam*, tàm pro obstando contagio absoluto, quàm pro ostendendâ suâ productrice potentiâ, in variando ad infinitum unoquoque corpore, nullâque strictâ similitudine inter nos ponendâ sine dubio sese complacuisse. Sapientibus igitur ejus provisionibus applaudatur quòd omnes inter homines constituere voluerit ætatis, sexûs, temperamenti, caracteris, morum et

Quomodò natura contagio absoluto obstat?

et usuum differentias, quarum ope morbis epidemicis et contagiosis subtrahi possumus, et sine quibus in discrimen eorum invasionis et exitii singuli adduceremur. Cur aliundè in regno animali rejiciamus quod accidit in vegetabili ? Non-ne reapsè in tritico *solo* faciliùs assurgit ærugo, dùm frumenta mixta et gallicè *meteils* dicta infrequentiùs occupat (1) ? Ergò è positivis multis factis aut ex analogiâ evidente non omninò assentietur quod à Clar. *Leblond* assertum est (2), scilicet febrim flavam non esse contagiosam, nisi *pluribus ægris* adunatis et in eodem loco inclusis: plusquàm enim probabile datur primitivam cujuspiam contagii apparitionem ab uno solùm cum altero homine communicante invadere potuisse; et istius eventûs suppositioni non refragatur mea opinio per quam *identitatis* plus vel minùs proximæ infectum inter et inficiendum, ut constituatur contages, necessitas sub intellectum cadit.

De circumstantiis contagioni contrariis.

1.° De ætate diversâ.

LXI. Quænam autem sunt circumstantiæ, has affinitates, relationes, aut, quod idem est, functionum identitatem arcentes vel minuentes, provocantes vel augentes ? Jàm ferè illas designavi, quandò de ætate, temperamento,

(1) *Targioni*. Voy. Mémoires de Berne. 1765.

(2) Journal de Médecine de *Sédillot*, t. XXIV. p. 184.

sexu, regimine, etc. quædam dixi: sed successivè de omnibus istis, et statim de contagioni contrariis prolixiora proferre oportet. Sola ætas inter homines tantam differentiam adducit, ut seniles affectus infantibus et adultis, quorum morbi, primis annis peculiares, contagionem facilem et reciprocam admittunt, arduam et plus quam raram *communicabilitatem* offerant. Hìc notare expedit eosdem seniles morbos aliis personis pariter decrepitis vix communicari posse, eo quòd 1.° Senes vitam fermè *vegetativam* tantùm possideant, et 2.° de die in diem aliquid facultatis suæ loco-mobilis amittentes, communicationibus non ordinariè sese exponant.

2.° De temperamenti discrepantiâ.

LXII. Super contagionis energiam tàm valet et adeò influit idiosyncrasia, ut animadversum fuerit nervosæ febris, quæ mense Februario 1793 plures victimas numeravit inter omnium classium sanitatis ministros Bruxellarum, Aquisgrani, etc., omnia symptomata graviora in flavis quàm in fuscis sese exhibuisse, atque in prioribus recreationem à morbo multò laboriosiorem initam fuisse, cùm etiam ab illo non oppressi fuerant (1).

3.° De sexûs diversitate.

LXIII. De sexu, cujus diversitas facultatem contagiosam variare pariter facit,

(1) Bibliothèque Germanique, t. 3. p. 194.

Clar. *Huffelandius* nos edocet affectionem convulsivam, contagione præditam et cujus aggressionem subierant 14 fæminæ in uno et eodem conclavi valetudinario inclusæ, nulli masculo individuo sese communicasse, nisi duobus juvenibus, inter earum custodes positis, et qui insuper, secundum aut tertium paroxysmum experti, sine minimo remedio, mediante verò solâ ab aliis ægrotis separatione (1) promptè et facilè convaluerunt (2).

Tamen non requiruntur hæ omnes diversitates pro contagione obstandâ.

LXIV. Sola autem differentia, aut ætatis aut temperamenti aut sexûs, contagionem non semper impedit nec omninò refrænat. Unica enim harum circumstantiarum et à cæteris planè sejuncta, in imminuendâ opportunitate et aptitudine, quas miasma ad sese exercendum habere et patefacere posset, tantummodò agit : quinimò, aliquandò accidit ut, etiamsi una aut duæ earumdem occasionum opportunarum deficiant et absint, ejus actio nihilominùs prodeat ; sed tunc temporis, minorem istarum numerum ab illius energiâ suppleri necesse est. Itaque, posito quòd vis morbi pestilentialis ad

(1) Hæc remotio, non-ne operata fuit utilis ambobus ægris juvenibus tollendo occasionem rursùs occurrendi sub influxû alterius quantitatis contagiosæ ? (Videatur XXVII.)

(2) Bibl. Germanique, t. 7. p. 178.

summum suum gradum pervenerit, ejusque miasmata virtute strenuâ prædita fuerint, subjecti individui, quorum positio influentiæ et actioni istorum miasmatum parùm faveret, eis gravissimè laborarent, simul ac eorum insultum experirentur (LXXI). Indè ratio lucet cur infantes, quibus penè omnibus parcebat novissima Moscuæ pestis, maximum discrimen incurrebant, cùm istius invasioni subjiciebantur (1). Sic etiam apud humanam speciem, et pro rationibus alio loco (LIII. XCII.) allatis, virus rabiosum vehementiorem et graviorem actionem exhibet.

Exempla influxûs identitatis in functionibus etc. ad contagium producendum.

LXV. In causâ absolvendi præcedentis argumenti, sed semper habitâ ratione influentiæ quam identitas functionum, etc. in contagiosi morbi productione vario gradu exercet, concludere licitum est contagionem apud homines invicèm et inter se versantes, atque organorum ac habitudinum sympathiis potientes faciliorem et frequentiorem adesse. Exindè probabile tenetur luem veneream inter personas unà et in eodem lecto cubantes, multotièsque venereæ cohabitationi indulgentes, sæpiùs ac promptiùs sese communicare; indè adhuc liquet cur singula cujuspiam familiæ membra morbum quemdam,

(1) *Mertens*, observationes medicæ, pars 1.ª p. 103.

quamvis leviter contagiosum, incurrunt omnia. Hanc observationem tàm constantem, ut à *Fullerio* (1) et *Lorryo* (2) tanquàm expressa et necessaria pro contagii transmissione donetur, haud omisit Cel. *Vanelsekerius* in historiâ febris remittentis bilioso-putridæ quæ, anno 1772, Antuerpiam devastavit. hic enim Medicus quamdam familiam eâ totam correptam agnovit, quia singula ejus membra eumdem impurum aërem hauriebant, regimen idem tenebant et simùl incubabant (3). Non-ne etiam quotidiè animadvertitur communicationem habitualium læsionum frequenter locum habere in familiis, quarum mulieres aut virgines, v. g., fermè eodem tempore suos menses contrahunt? Clar. *Strackius* pariter adnotavit viventia corpora impressioni et actioni dyssenterici miasmatis plùs minùs-ve subjecta fuisse, prout eidem regimini aliena aut assueta sese præbebant (4). Pari ratione, in Gaditanam febrem flavam præ aliis omnibus incidebant personæ, in eodem temporis vestigio easdem naturales functiones aut easdem physicas al-

(1) Exanthematologia. p. 104.

(2) Op. ci,. p. 161.

(3) *Schlegel*, Thesanr. pat. Therap. t. 1. p. 377.

(4) De Dyssenteriâ. p. 29.

terationes subeuntes, fœminæ, ex. gr., fluxu menstruo occupatæ, et ob hanc occasionem majori inhalationi cutaneæ obnoxiæ (1). Insuper periculosior fuit idem morbus ergà puellas quæ sub influxu puberis ætatatis, apud illas promptioris quàm apud sexûs alterius adolescentes, sese inveniebant (2). Quin imò historia febris icterodes quæ, in insulâ Haïtianâ, Gallum exercitum nuper depopulavit, nos docet singulos omnes, qui ab eâ percutiebantur, manifestas ætatis, laborum, pathematum, diætæ, etc. analogias protulisse, et simul in nosochomiis, ubi aëris, regiminis etc. similitudines maximè evidentes aderant, primam istius morbi invasionem iniisse (3). Eadem adnotatio in febre flavâ, quæ anno 1793 gemitu Philadelphiam implevit, sese exhibuit inter infimæ plebis pauperes, quorum ferè omnium status, tàm in physico quàm in morali, generaliter idem existens, hunc morbnm immanem et exitiosum reddidit; siquidem septem ex octo mortuis ab istis inopibus proveniebant (4).

---

(1) Mém. de la Soc. Roy. de Méd. 1780-81. p. 77.

(2) Journ. de Méd. par *Corvisard*, etc. an XI. p. 498.

(3) *Gilbert*, op. cit. p. 45. 53. 55. = *Pugnet*, ibid. p. 390.

(4) Matteo *Carrey*, descrizione della febbre Gialla, etc. p. 74.

LXVI. A veritate tàm parùm aliena sunt quæ hactenùs asserui de actione et utilitate identitatis (in modo anteriore existendi, ægrotantibus et sanis communi) plùs vel minùs absolutæ atque ad propagandam contagionem aptæ, ut in eorum confirmatione allegari possit commodum *diversi* regiminis in impediendâ cujuslibet morbi communicatione. Reapsè, infantilia corpora, sed *differenter* nutrita, ac sub dissimili atmosphærâ degentia, morbis adhuc variis inter se discrepant. Hispani et Itali pueri, v. g., rariùs variolis vexari à *Stalpart-Vanderviel* dicuntur (1). — Apud *Schottium* legitur quidam per abstinentiam vini et spirituum, quorum usui largè indulgebant cæteri, à febre atrabiliariâ servatus permansisse (2). — Reperitur eadem animadversio in itineribus Clar. Ducis *Cook*, ubi narratur ex cunctis classiariis, qui in portu Bataviæ febre pestilentiali affligebantur, solum ab eâ immunem evasisse, qui inter totam suam in hâc regione mansionem quotidiè vino obrutum sese monstravit (3). — Nobis quoque communicat *Diogenes Laër-*

Diversitates in modo agendi et vivendi etc. inter ægros et sanos, contagem impediunt.

(1) Centuria postrema. Observ. 42.

(2) De la fièvre synoque atrabilieuse du Sénégal, etc. p. 104.

(3) *Baumes*, Méthode de guérir, etc. p. 128. = *Voy.* Voyage dans l'intérieur de la Chine et en Tartarie, par

tius Socratem solum etiam, favente abstinentiâ constante, tutum sese præbuisse à peste Athenis reiteratâ (1). — Pariter juxta *Pringlium*, qui regimen parumper stimulans observant, et medio cibi leviter aromatibus conditi et potûs corroborantis in moderato excitationis statu stomachum tenent, minùs pestem contrahunt quàm qui, sicut Turcæ, à vino et aliis liquoribus excitantibus nimis sibi temperant (2). — In Ægyptiacâ regione egomet observavi Cophtos ac Europæos, parco vino atque regimine aliquantulùm variato utentes, contrà eumdem terrendum morbum defendi. — Tandem, non-ne dici posset salutem epidemiâ pestilentiali modò laborantium, deincepsque ope magnæ ciborum quantitatis (quod contendit *Galenus*) ab eâ liberatorum, obtentam fuisse è modo vivendi differente ab eo quem turba observabat? — Et ad auxilium analogiæ exhibendum, non-ne similiter discrepanti diætæ attribui debet incolumitas quorumdam pecorum,

---

Lord *Macartney*, t. 1. p. 319, in quo legi dantur similia exempla immunitatis à febre Bataviensi per actionem diversi regiminis aut discrepantis animæ statûs, quibus mediantibus, nonnulli nautæ aut incolæ ab aliis alieni et ferè illis oppositi videbantur.

(1) *Hoffmann*, opera etc. t. 1. p. 204. = Gazette de santé, 1788. n.° 2.

(2) *Pringle*, Mal. des armées, in-12. t. 2. p. 151. 153,

sale nutritorum, à morbo epizootico alia armenta, etiam vicinissima, salinis autem cibis privata, angente (1)? Constat igitur ex suprà dictis moderatum regimen (2), sed cum illo ab ægris asservato rectè oppositum, contrà istorum affectionum communicationem non parùm protegere. = Uno verbo, ex solâ discrepantiâ sive in victu, sive in aëre, sive in laboribus exactâ deduci valet justa ratio, cur nonnullæ domus, quidam artifices et etiam quædam civitatis regiones ab epidemico et contagioso morbo interdùm defenduntur.

LXVII. Quod modò probavi in morbis præcedentibus produci (LXV), in pluribus quoque aliis febribus contagiosis exhibetur, ex. gr., in Nosocomiali, cujus à Josepho *Frankio* referuntur novem casus. Ægrotantes erant omnes Medici, ætatis 22 vel 24 annorum, eadem studia, easdem occupationes, et procul dubio idem regimen tenentes, ac plerique tandem inter se conjunctissimi (3). Hìc quoque in memoriam revocari potest febris dicta *Universitatis Altorf*, cujus insultum istius Collegii Tirones soli experie-

(1) Mém. de la Soc. Roy. de Méd. 1777. 78. p. 632.

(2) *Hoffmann*. t. 1, etc. p. 203.

(3) Bibl. med. Broun. Germanica. vol. 2. p. 52 et seq.

bantur, omnibus cæteris civibus, quamvis singuli Universitatis Consortes per totam urbem dispersi fuerint, ab eâ immunibus. Ex hoc ultimo exemplo maximè confirmatur influxus identitatis in vivendi ratione etc. inter ægros et adstantes, quibus priores suam conditionem communicabant. Etenim, Professores morbo tentati, suam familiam atque suos servos ejusdem participes reddebant, dùm studentes aliis oppidanis, apud quos ægrescebant (1), nullo modo eum transmittebant. = In nosocomiis, infantes eisdem morbis aut nervosis aut exanthematicis inter se laborantes inspiciuntur (2). = Mulieres ipsæ, in eodem conclavi inclusæ, et eidem physico statui subjectæ, ferè omnes adynamicâ febre fuerunt afflictæ (3). = Eodem modo explicabitur contages petechialis febris, unius ægroti viâ fortè adducta, et deindè crudeliter grassans in Vindebonense nosocomium *Sancti Marci*, usque ad id tempus ab infectione immune (4). Demùm, quâ ratione sub intellectum caderent cujuslibet pestilentialis morbi

---

(1) *Heister*. Voy. Journ. de Méd. vol. XL. p. 205.

(2) *Gianini*. Memorie di Medicina. t. 2. p. 43.

(3) Journ. de Méd. par *Corvisard*, etc. t. X. p. 377.

(4) *Maxim. Locher*. Observationes practicæ circà luem veneream, maniam, epilepsiam, etc. 1762. p. 43.

receptaculum et fomes in oppido, in civitate, et simul incolumitas quorumdam advenarum, in mediâ tamen contagione degentium, nisi pro causâ istius singularis exceptionis admitteretur morum, usuum, indolis, temperamenti, regiminis, etc. quælibet diversitas, et cujus interventu variat quoque infectionis periculum, prout aër corruptus ac densus, aut purus et renovatus hauritur (1). Ergò, atomos contagiosos pro iis *quos eadem premit aëris, locorum, ciborum conditio* maximè metuendos esse cum *Lorryo* (2) asserendum est. Generaliter (et hoc nimìs iterari nequit), omnia usque adhuc effata, de mutuarum relationum cooperatione miasmatibus communicandis accommodâ, veritati tàm congruunt, ut relationibus his cessantibus, cesset etiam contagionis discrimen. Ad hunc modum, qui morbo contagioso laborant, faciliùs alios inficiunt, quàm qui eo occubuerunt (3); et semper ex eodem principio, minùs facilè inficiuntur, qui morbo quodam organico affliguntur, v. g., hydrocephalici, quorum jam ex dicto *Monro* et aliorum (4)

(1) Journ. de Méd. t. XL. p. 206.

(2) De morbor. mut. et convers. p. 161.

(3) Hoffmann. op. etc. t. 1. p. 203.

(4) Ann. de litt. Méd. étrang. t. 4. p. 175.

immunitas à variolosâ contagione præsumi datur.

Mutuæ relationes, secundùm textum partium et statum aëris, diversè agunt.

LXVIII. Insuper animadvertendum est, 1.° à relationibus, suprà et singillatìm enarratis, non semper produci identitatem absolutam et perfectam, (quandoquidem corpora animata, sicut et inanimata, aliquid diversi in suâ organisatione constanter et naturaliter offerunt), ideòque fieri ut pestilentiale miasma modò carbunculos, modò bubones, tum anthraces, cùm petechias etc. proferat; 2.° ex eisdem identitatis vel conformitatis circumstantiis invasionem epidemicarum febrium cum majore et frequentiore anomaliâ præstari (1), ex eo quod, magis populares evadendo, à mutuâ et reciprocâ hominum influentiâ majorem modificationem acquirunt; et 3.° ab hoc eodem hominum influxu proportionaliter minui influxum atmospheræ, quantumvis sicca et salubris sit ista. Hæc irregularitas in morborum apparitione et progressu indubitanter etiam existit quandò habitantur paludosi loci, quorum reapsè exhalationibus mutui incolarum consensus accrescunt aut viciniùs coercentur, vel, quod ferè

(1) Ad memoriam revocandum est *epidemias* ex actione aëris et aliarum sex rerum non-naturalium pendere, etc.

idem est, atmospheræ actio super nos imminuitur aut alteratur. *Fullerius* harum affinitatum effectus longiores extendit cùm expressè asserit « vapores cadaveribus exeuntes adesse » perniciosiores pro ejusdem quàm alterius » speciei individuis (1) ». Plerùmque autem, in nebulosis et pluviosis tempestatibus, animata nostra corpora minorem expansionem extrinsecùs exercent; verùm, in compensationis modo, pro se ipsis magis sunt. . . Vitales conatus ex circumferentiâ ad centrum conficiuntur; et tunc dici potest eadem corpora, non in absorbendis moleculis cum quibus in contactu adsunt, sed in agendo supra miasmata jàm in eorum texto introducta, vel ex his influentiam quamdam et mutationem subeundo, vires suas occupatas habere. Itaque, in temporibus istis, nostræ relationes cum exterioribus objectis vel nullæ, vel saltèm parcissimæ præbentur, et ferè cum nobismetipsis solis maximæ fiunt. Hoc probabilissimo modo credere datur contagionem, jamjàm apud nos intromissam, tunc (tempore pluvioso) liberæ actioni vacare, atque simùl ejus ingressum in anteriore circumstantiâ, videlicet cùm aër levis et tempus parùm calidum erant, se exhibuisse. = Si ideæ meæ veritati appro-

Tempestas nebulosa minuit relationes mutuas inter homines. Nàm sub hoc tempore, agit contages per anterius et oppositum tempus in corpore introducta.

(1) Exanthematologia. p. 96.

Epidemico contagiosi morbi aëri non semper attribui debent.

pinquant, dicendum erit morbos epidemico-contagiosos noxio aëris influxui non esse semper attribuendos, sed è contrariò, istas morbidas affectiones haud raròinvadere, earumque gravitatem accrescere, quotiescumque atmospheræ actio super nostra corpora decrescit. Quodcunque sit, annotationi offertur febres cum regularitate constantiore in temporibus siccis, atque in eisdem aëris constitutionibus magis naturales apparere quàm in pluviosis mensibus, per quos atmosphæra inquinata aut alterata suâ actione ordinariâ destituitur, et simul influentia cælestium corporum super animatas orbis nostri substantias quamlibet mutationem pariter experitur. Elucidationem idearum mearum majorem semper in animo habens, et annotationibus meis in morbos Ægypti pestiferos accuratè factis recurrens, animadvertam diuturnitatem ejusdem statûs in aëre, et generatim in influxû sex rerum non-naturalium, tanquàm unam ex causis procreationi morborum contagiososum aptissimis sese præbere, et in contrario sensu è diversâ atmosphæræ vicissitudine conditionem ad generandos morbos epidemicos maximè accommodatam oriri. = Indè ruri, ubi cœlum sæpiùs agitatur, mutationesque terræ diurnas ac nocturnas magis participat, posteriores

affectiones frequentiùs erumpunt, dùm in civitatibus quarum atmosphæra, habitâ ratione ejus temperiei et aëris minùs ventilati (1), in majore et constantiore quiete permanere videtur, inter omnes incolas major affinitas et relatio in laboribus, regimine, pathematibus etc. adsunt, et exindè crebriùs ac duriùs sæviunt contagiosi morbi. Ergò à vero non multùm declinabat *Fracastorius* (2), quandò in actione vitiosâ aëris super temperamenta oppidanorum et divitum sanguineo-mollia causam epidemiarum admittebat, et in variis alterationibus, quas subire queunt corpora siccorum, robustorum, pauperum etc., pestilentiarum originem imputabat.

Undè differunt contagiosi et epidemici morbi?

LXIX. In universum, plusquàm probabile constat invasionem et stationem contagionis cuicunque assimilationi deberi, atque hanc assimilationem (morbidam sine dubio) aliquid consensualis cum naturali quâdam elaboratione offerre. Ideò in conspectu veniunt infantes et senes, in quibus hæc posterior naturalis exercitatio lenta et difficilis ope-

---

(1) Quapropter in insulâ *Feroë*, ubi flant diversæ auræ aërem renovantes, silent febres ac morbi contagiosi. Collect. Acad. part. étr. t. IV. p. 194.

(2) De contagiosis morbis, p. 163. 165.

ratur (1), minùs esse expositos febri flavæ quàm strenuos et juvenes; et sic præsumi datur, quemadmodùm extrema temperiei atmosphericæ contagium impediunt, ità etiam ætatis extrema invasioni pestilentialium affectionum contraria videri. Hæc effata observationi de puellis et fæminis Gaditanis anteà factæ (LXV) non contradicunt: siquidem ex istarum annis atque functionibus tempus assimilationis maximè activæ fortassè profertur. Ob eamdem rationem, actus-ne cohabitationis venereæ hanc assimilationem morbidam accresceret? Clar. *Paponius* (2) commemorat quemdam pestiferum nosodochio evasum, postquàm uxorem suam accercisset et invitam iniisset, in ejus brachiis et cum illâ animam exhalasse. *Diemerbroek* etiam refert maritum suæ conjugi, jàm infectæ, volnptuarios amplexus concedentem ex eâ contagium accepisse (3), et ambos, sequente nocte, simùl ad Manes ivisse (4).

Contagium assimililationi cuidam debetur.

(1) Voy. *Plinius*, Hist. Nat. lib. 7. cap. L. *Ramazini*, opera. p. 842.

(2) Histoire de la peste. t. 1.

(3) Si hæc pestis transmissio tàm prompta fuit, ut *Paponius* et *Diemerbroek* referunt, admittere necesse est ab eâ non observari typum constantem (XLII).

(4) *Manget*. Bibl. med. prat. t. 4. p. 69. 92.

= Quoad

= Quoad animalium morbos, notatum fuit, v. g., Epizootiam, quæ anno 1776 et in Sylvâ *St. Germain* dictâ inter cervos sæviit, in ardoris venerei tempore crudeliorem extitisse (1).

Certus energiæ gradus contagii impressionem præcedere debet.

LXX. Itaque, anteà quàm et ut contagioni ansam et accessum præbeamus, certum energiæ gradum possidere et exhibere debemus. Exindè, nascitur ratio cur febris epidemica Genuensis, anno 1799, in momento istius civitatis ab hostibus omni itinere interclusæ minui visa fuit, (in eo enim temporis ex rerum omnium inopiâ ac anxietatibus et mœroribus singuli cives generaliter rebilitabantur), dùm hâc interclusione remissâ, et advenientibus æstivis caloribus, eadem febris recruduit (2). Sic pariter pestilentiales morbi non præcisè in eodem tempore, cùm grandes et multæ calamitates publicæ opprimunt, sed tantùm post earum imminutionem aut subsidentiam superveniunt; quamobrem enascitur hoc vulgare axioma, *post famem pestis*. Non-ne ob eamdem rationem leucophlegmatici peste ac febre flavâ assuetè immunes sunt? Si præter hæc omnia, deside-

(1) Mémoires de la Société Royale de Médecine, 1777. p. 152.

(2) *Rasori*, op. cit. p. 22.

raretur aliud argumentum ex morbo contagioso per insitionem communicato deprompturn, in medium afferri posset Vaccina, de quâ adnotatum fuit vaccas, quarum mammæ lacte deficiunt, et eo ipso in suis functionibus secretoriis enervatæ sese præstant, non æquè ac alias (1) nec tàm facilè Vaccinæ effectum proferre; et tandem in gratiâ meæ sententiæ magis positivè affirmandæ, legatur observatio *Læffleri*, ex quâ constat inoculationem scabiei, usque ad id tempus frustrabilis, mediantibus inter digitos frictionibus, efficacem fuisse redditam (2). Hoc cautum, in Vaccinæ insitione, et antè et post puncturam à me adhibitum, semper quot punctiunculas tot papulas mihi obtulit. = Insuper, morbi contagiosi constanter evadunt cum febre generali, aut cum quodam locali labore, cujus exemplum invenitur in scabie ipsâ, quæ præcipuè communicabilis tantùm adest, exercitatione aut lecti calore mutuum contactum præcedente. = In insulâ Haïtianâ, non tàm contagiosi aut frequentes grassantur impetigines vel alii morbi cutanei, nisi ratione cutis antecedente solarium radiorum actione

---

(1) *Woddville*. V. Bibl. Germ. t. 5. p. 165.

(2) Bibl. Germanique. t. 1. p. 446.

sæpè et quotidiè excitatæ (1). Denique, contagium *Vaccinæ* apud vaccas intromittitur præcipuè in Vere et Æstate, cùm eruptionibus cutaneis magis sunt obnoxiæ (2); id est, cùm earum organum cutaneum in laboris et energiæ conditione existit. Ex quibus omnibus satis probatur susceptionem materiæ contagiosæ quemlibet potentiæ vitalis effectum designare (3); quod sanè vero tam consentaneum est, ut contagium communicabilitatis expers semper sese præbeat, quandò Vis vitæ in altero *acuto* morbo exercetur et fatigatur (4). *Vid.* (XCVIII).

Secundùm energiam partium à contagione læsarum, variat contagii gradus.

LXXI. Antequàm de hoc argumento finiatur, in medium afferendum est contagionem in suâ sede et actione differre posse secundùm uniuscujusque Systematis ab eâ offensi actuosum statum. Pro exemplo adducantur *Variolæ*. Hoc morbo contagioso frequenter et inprimis laborant infantes, 1.° quòd in variolis Textum Mucosum adest organum præcipuè affectum, et 2.° quòd apud pueros hoc idem Textum Mucosum in energiâ aliis systematibus superius sese monstrat (5).

(1) *Gilbert*, op. cit. p. 32.

(2) *Jenner*, Recherches sur la Vaccine, p. 40.

(3) *Gianini*, della natura delle febbri, etc. t. 1. p. 312.

(4) *Lorry*, op. cit. p. 164, etc.

(5) Cur affectio catharralis minuere potest variolosæ

Eadem exanthematica affectio apud Adultos ac Senes difficilior apparet, quia cellulosum vel mucosum Systema, cujus actio dominans variolarum evolutioni favet, minorem vim, quàm unumquodque aliud systema, prodit. Tandem periculum ex Variolis cum ægrorum annis crescit, quoniàm tunc morbus iste nasci nequit, quin constitutionem naturalem vehementer alteret aut subvertat (LXIV). Quoad miasma dyssentericum, tanquàm contagiosum agere videtur solummodò, in ratione ab illo directæ et allatæ super partes vel corpora, quæ cum corporibus infectis communicationem afferunt, et quæ simùl similem in physico organisationem ac eamdem in morali positionem præsentant.

In fervidis locis excitantur et expanduntur corpora nostra.

LXXII. Ad iterùm confirmandam assertionem modò (LXXI) enunciatam, videlicet quemdam laboris aut actionis vitalis gradum, in organo cutaneo præexistentem, contagioni, præsertim febris icterodes, indulgere, enarrabo quæ de hâc re asserit D.r *Poulin*, Gallicarum Copiarum apud Colonias Ex-Medicus : « In calidis regionibus,
» ubi pestis et febris flava persæpè sæviunt,
» corpus, atmosphærâ minùs pressum, mole

communicationis capacitatem (Journal de Médec. t. 84. p. 439), in aliis locis (LXX. LXXIII.) explicatur.

» accrescit ; molles partes ad gradum ali-
» quandò mirum et semper secundùm æta-
» tem, sexum et alias particulares circums-
» tantias sese expandunt et dilatant etc. (1) ».
Reapsè, adeò verum est quamdam dilatationem in organis nostris anteriorem, cui ferè repentinè in locis fervidis subjecti sunt advenæ, invasioni et apparitioni febris flavæ commodam, imò necessariam esse, ut hæc terrenda affectio supervenire videatur in mollibus atmosphæricis constitutionibus, sub quarum actione cutanea turgescentia vel expansio subitò relaxari debet (LXIX), et tunc aggredi personas apud quas hæc expansio hactenùs existit, sicut obesos et plethoricos, atque simul pervadere locos ubi temperies aëris, ordinariè sicci, constanter cutem excitat; quod etiam interdùm fieri potest post actionem quarumdam circumstantiarum, partes nostras in turgescentiæ statum inducere capacium, v. g., post lotiones et balnea in aquâ tepidâ, quæ sicut causæ disponentes ad morbos contagiosos à multis considerantur (2). Cæterùm, non-ne constat, Vento Austrino in locum Septentrionalis suc-

(1) Journal de Médecine, par *Corvisard*, etc. tome IX. p. 412.

(2) *Orœus*, op. cit. p. 134, etc.

cedente, epidemias ac contagiones assuetè grassari? Ex substitutione posterioris priori vento, non-ne agnosceretur causa sufficiens ad producendam insignem mutationem in temperie et in statu cutis nostræ (1)? Minimus Physicus, in quo consistit hæc mutatio, haud ignorat. = Ideò Noto, qui cutem retendit et relaxat, post Boream, qui eam excitat, flanti à pluribus attributa fuit Epidemia anni 1764 Neapolitana (2). Hæc prioris venti emolliens proprietas, impediret-ne cutaneam perspirationem, non secùs ac id effecit glutinosus et lucidus liquor quo duo miseri, in mediis intemperantiis ac deliciis, corpus suum fricuerunt et operuerunt, atque indè mortui evaserunt (3)?

Contagium impeditur, quandiù cutis excitata existit.

LXXIII. Quandiù cutaneum excitamentum perstat, morbi contagiosi et epidemici non suscipiuntur. Quam ob causam catharrali affectione stabilitâ, variolæ communicationem facilem non habere (LXXI) animadvertuntur; et etiam affectionis pestilen-

(1) *Lepecq de la Clôture*, Epidémies, in-4.° tome 1. p. 326. = Hic auctor vicissitudinem ac frequentiam ventorum S et N considerat tanquàm causam occasionalem epidemiæ quæ anno 1770 *Luparias* devastavit. *V.* LXXVI.

(2) *Sarcone*, t. 2. p. 16.

(3) *Sarcone*, ibid. p. 40.

tialis lacessitioni plures cutaneæ læsiones, v. g., furunculi, miliaria aut urticata exanthemata, dolores rhumatici, etc. frequenter præire, aut, eâ jam sæviente, cutis eædem eruptiones, apud illos quibus parcit morbus (1), prodire videntur. Excitamento autem cutaneo per astheniam *directam* vel *indirectam* cessante, morbi populares caput attollunt, sicut et epizootiæ, v. g., inter oves quæ per itinera longa cutem exercitantia et musculosum systema stimulantia nullum pusularum insultum monstrant : sed hæc incolumitas strictè desinit, quandò eadem animalia quamdam regionem tangentia et ibi quiescentia, cum aliis verisimiliter ægrotantibus mista sese vident. Tunc enim pusula sese declarat super ovilla pecora, nuper admodùm ex uno ad alium locum collata, dùm silet ergà ea quæ in eisdem pascuis è longo tempore tranquilla permanserunt (2). = De hâc re fortassè accurata et constans animadversio nos edocuisset correptos ab istis cutaneis eruptionibus, aut exercitos ab aliis analogis variarum suarum partium laboribus sæpè pestilentialem quamdam constitutionem præcedentibus vel sequentibus, istius insultibus minùs

Per eruptionem cutaneam sæpè silet aut desinit febris pestilentialis.

(1) *Orœus*, op. cit. p. 66.

(2) *Paulet*, op. cit. t. 2. p. 80.

quàm cæteros fuisse expositos (LXXVI). Saltem probabilius et evidentius constat ex interventu eruptionis cujuslibet cutaneæ finem epidemiæ pestilentiali haud infrequenter impositum fuisse. Sic nuperrimè ex Matrito auditum est personas omnes, quæ febre flavâ Malaccæ et Carthagenæ correptæ fuerant, sequente anno et ineunte Caniculâ eruptionem scabiei similem subiisse (1). =Eumdem exitum accidisse adnotavit *Lepecq de la Clôture* in epidemiâ quæ anno 1770 Luparias pervasit, et cui circà sequentis Veris initium evanescenti successit psorica eruptio maximè generalis, et in pluribus anni temporibus perdurans (2). *Conf.* (LXXV).

Absente anteriore cutis exercitatione arcetur morbus contagiosus.

LXXIV. Subjecti, à quorum communibus tegumentis quidam excitationis anterior status abest, morbo pestifero ut plurimùm defenduntur. Quamobrem Scorbutici quorum cutaneum organum in verâ astheniâ sese præbet, licèt contagioni febrili diù expositi, tamen ejus insultûs immunes remanent (3). = Idem memorandum est de hydropicis, leucophlegmaticis etc. Eorum enim exterior habitus expansionem ac turgescentiam (sed

(1) Bulletin de l'Europe, 1805, n.° 178. p. 3.

(2) *Lepecq de la Clôture*, Epidémies, in-4.° t. 1. p. 325.

(3) *Lind*, Fièvres contagieuses, etc. p. 6. 7. 19.

asthænico modo) præsentat, et talis conditio acquisita eorum liberationi à novo pestis aggressu, juxtâ *Oræum*, multùm inservit (1). Indè argumentum contrà facultatem febris flavæ contagiosam à *Devesio* allatum (2), et ex immunitate jàm aliis morbis laborantium ant jàm debilium ex ægrotatione convalescentium depromptum, funditùs evertitur. Aliundè, præcedenti meæ assertioni non adversatur opinio auctorum dicentium corpora imbecillia, et jamdudùm in morbosâ opportunitate occurrentia, à morbis ex communi *insalubris aëris vitio* procedentibus facilè corripi. Nàm in hâc ultimâ occasione, infirma et vitiosa corpora sub influxu unius aut plurium ex sex rebus non-naturalibus plenè subjacentia, actionem epidemicam sive generalem indè subire queunt, dùm autem in positione susceptioni contagis favorabili plerùmque non adsunt, id est, dùm non præsentant istam relationem functionum, laborum, regiminis etc. (3) ab aliis vicinis corporibus exhibitam. Invalidi enim homines in morbosâ conditione jamjàm se præstant. . . et exindè

Tunc tamen non impeditur epidemicus morbus.

(1) *Oræus*, op. cit. p. 60. 61.

(2) Vid. *Burini*, op. cit. p. 25. 31.

(3) Procul dubio, leucophlegmatici, v. g., regimen regimine aliorum diversum observant, etc.

differentiam notabilem proferunt à cæteris qui anteà in statu sano occurrere putandi sunt. Attamen negari nequit morbum inter cachecticos dominantem, ergà alios identitate humorum et pathematum pressos interdùm communicabilem fieri posse. . . Verùm casus iste, cæteroquin meis dictis nulliter repugnans, plusquàm rarus accidit; et apud plerosque auctores constat fortes et strenuos homines præ alteris contagioso morbo apprehendi. Insuper, si fortuitu affectio contagiosa quosdam imbecilles invadit, accuratè examinandum est an anteà, mediante pathemate aut physico labore inassueto, in anteriore excitationis statu non versarentur.

Quamvis excitatio cutis anterior sit necessaria, non est tamen causa essentialis contagii suscepti.

LXXV. Gravi errore duceretur quicumque ex statu cutis excitatæ causam essentialem contagii suscepti depromeret: ista enim causa potiùs consistit in collapsu organi cutanei, ejus turgescentiam consequente, et cujus occasione, cum vehementiâ constanter accommodatâ energiæ quâ priùs viguerit (1) facultas cutis expansiva, materies contagiosa absorbetur. Etenim, ex suprà dictis (LXXIII)

---

(1) Peripheriâ corporis statum rarefactionis auctæ exhibente, exoritur *inhalatio*, dùm per dominantem organorum interiorum actionem, quâ producitur *vis contractionis*, *absorptio* probabiliter sese præbet.

revocabo catharrales affectiones statui excitationis in organo cutaneo per calidum aut frigidum tempus (utrumque siccum) existentis semper succedere, et in mollibus frigoribus aut in humidis et debilitantibus caloribus assuetè invadere (1) : quod adeò verum est, ut, hoc eodem systemate in suis naturalibus functionibus restituto, posterior status morbidus (scilicet relaxationis) reprimi et debellari possit, et etiam contages in suo progressu cohiberi valeat. Hoc modo quoque utiliter agunt aspersiones et affusiones aquæ frigidæ super corpora infecta, v. g., nosocomiali contagione, et quibus mediantibus organum cutaneum vitalem concussionem percipit, ad textum cellulosum subjacens eam extendit, et humoribus in utroque contentis (2) communicat. Aliundè, Natura ipsa hunc agendi modum indicat, quandò ea conspicitur discutiens periculum in plurimis febribus malignis ope phænomenorum *expansionis* cutaneæ, modò tamen cum magnâ præcipitatione haud interveniant. Sic Bengalæ, frigidis aspersionibus festinatur febris

---

(1) *Lepecq de la Clôture*, op. cit. t. 1. p. 32.

(2) *Lettson*, *Currie*, etc. Voy. *Banau*, Manière de traiter les fièvres putrides et contagieuses. = Voy. aussi *Odier*, Observations sur les fumigations nitriques, etc.

eruptionis variolosæ, et sæpè earum actione papulæ jàm depressæ iterùm rectè pustulescunt (1).

Particularis et gravis affectio alterius organi contagioni minùs favet.

LXXVI. Si cutaneum organum, super quod materialis causa contagiosa agere videtur, parumper imminutam (modo saltem relativo) suam excitabilitatem exhibet, proptereà quòd aliud organum suam maximè adauctam exercet, tunc ad suscipiendam pestilentialis miasmatis epidemici impressionem minùs aptum sese præbebit. Profectò liquet ex hâc proportione et relatione consensuali excitabilitatis localis aut generalis pestem, v. g., grassante dyssenteriâ, non sese constituere, pariterque ophthalmiâ laborantes rarò febribus epidemicis corripi (2). Jàm Celeb. Fordycio constans videbatur contagiosam materiem inefficacem esse, labore quodam generali aliorsùm existente. Dicit enim hic Medicus contagium, quod in multis occasionibus febrim producit, nullo effectu esse præditum, quandò motus febrilis antè illud jàm exstat (3). Quamobrem Mauri scabie tentati febribus putridis sunt etiam immunes, aut si eis attinguntur, jàm evanuit

(1) *Black*, Observations sur la petite Vérole, p. 37.

(2) *Rasori*. op. cit. p. 155.

(3) Ann. de litt. Méd. étr. t. IV. p. 208.

psora (1). Idem exanthema apud nonnullos habetur adhuc à variolis defendere capax (2). *Vid.* (LXXIII).

Partium complicatio variare facit contagium.

LXXVII. Status complicationis et numerus partium aut organorum contagioni expositorum ad ejus celeritatem et gravitatem multùm conferunt. Etenim, quò major adest complexio in structurâ entium animatorum, eò evidentiore synergiâ et sympathiâ pollent eorum partes constituentes; et vice versâ, quò simplicior est eorum organisatio, eò magis inter se alienæ existunt eædem partes, eòque minùs *tota* vita individui in vitâ singulis organis particulari et propriâ consistit. Ex hoc principio, qui similitudines mutuas, immediatas et multiplicatas invicem præsentant, v.g., qui voluptatibus venereis simùl et conjunctìm indulgent, ad actionem contagiosorum miasmatum habilissimi habebuntur. Ex eodem iterùm patet quosdam morbos contagionis complicationem oblaturos esse, prout ab eis lædentur partes, quarum organisatio datur maximè composita, constans et apud omnia individua uniformis, et etiam quarum formæ unicuique particulares et plerùmque immutabiles exstant. Sic affectiones organi cutanei,

(1) *Schott*, op. cit. p. 81.

(2) Bibl. Germanique. t. 1. p. 368.

cujus organisatio tàm fixa exhibetur, ut variare nequeat quin natura corporis vehementer alteretur (1), facultatem contagiosissimam tenebunt. Indè quoque ratio elucet cur *confluentes* variolæ, in quibus major pustularum numerus adest, contagiosiores fiant (2).

De aliis circumstantiis contagioni particularibus.

LXXIX. De conditionibus inter ægrotantes et morbo expositos et pro contagionis extensione et communicatione necessariis huc usque dissertum fuit; et insuper, aliquid statûs quem ad accipienda aut recusanda nocua miasmata organum cutaneum, vel quodlibet aliud (3), secundùm naturam morbi præsentare debebat, additum fuit : nunc, de influxu quem morbus ipsemet contagiosus in tempore suæ propagationis ex naturâ suâ, è modo suo incedendi, et ex sex rerum nonnaturalium actione producere potest, quædam sunt dicenda.

LXXX. Facilitas ac celeritas, cum quibus contagiosus morbus sese communicabit, semper erunt secundùm analogiam et affinitatem quas pars adhuc sana corporis *reci-*

(1) *Grimaud*, Premier Mémoire sur la nutrition. p. 73.

(2) Annales de Litt. Méd. étr. t. IV. p. 501.

(3) Ad memoriam Lectoris revocare debeo in præsenti dissertatione præsertim de contagiis per cutem intromissis quæstionem esse.

pientis cum læsâ parte corporis *inficientis* exhibebit. Indè patefit ratio tàm facilis et frequentis communicationis quam lues venerea mutuatur ex influxu reciproco inter masculinas et femineas partes exercitato, cùm in contactu immediato et mutuo singulæ occurrunt. In hâc occasione, et mediante actione per coïtum semper existente, alterutra istarum partium in suâ organisatione vel functione pati nequit, quin et altera in opposito sexu correspondens, ac simul prioris laborem participans, seriùs ociùs pariter patiatur. Quoad istam luem syphilliticam, fortassè veritati aut saltem probabilitati haud absona foret assertio, juxtà quam hic morbus in primis suæ existentiæ temporibus modo generali, contagioso equidem, sed extrà coïtûs concursum extitisset. Itaque sat justè præsumi potest utriusque sexûs commercium fuisse causam efficientem metaptosis sive degenerationis ex quâ morbus iste generalis, sub energiâ partium genitalium in momento cohabitationis explicatâ, versùs illas sese direxisset et gradatim in illis adhærere sese complacuisset. Quid enim accidit in coïtû, nisi totius systematis perturbatio et subversio? Commotio vel concussio generalis, hunc actum assuetè comitans, in naturâ et etiam in sede morbi venerei mutationem quam-

Lues venerea, in primo suo tempore, probabiliter morbus generalis fuit, et solùm occasione coïtûs versùs partes genitales sese direxit.

cunque attulerunt; et ampliùs hìc animadvertendum est hanc morbosam alterationem, ex quâ luis syphilliticæ ortus supponitur, factam fuisse in belli tempore et inter turbas eodem regimine et communibus aliis circumstantiis rectas, et sic uno eodemque modo causæ cujuslibet morbiferæ actioni subjectas.

Prout continens et acuta, aut intermittens et lenta existit, febris contagiosa communicabilis est.

LXXXI. Discrimen communicationis morborum contagiosorum in ratione eorum *continuitatis* incurritur; ita ut, si febris flava aut pestis orientalis, v. g., intermittens adest, ad sese propagandam multò minùs capax erit quàm remittens aut continua. A *Fordycio* extenditur hæc adnotatio febribus intermittentibus ordinariis quas iste Medicus *communicabilitatis* magis expertes declarat quàm *continuas* (1). Quo admisso, lubenter autumarem flavam febrem *benignam* non magis contagiosam fore quàm talem sese habere posset materies purulenta scrophularum parùm decisarum (2), dùm juxtà Celebrem Sœmering idem marcidus humor, sed strumoso morbo summum gradum suum exhibente, virtutem valdè contagiosam proderet.

---

(1) Ann. de litt. méd. étr. t. 3. p. 115.

(2) *Sœmering*. Vid. Bibliothèque Germanique, t. 5. p. 117.

LXXXII.

Infectio adest periculosior ex statu impuro primarum viarum.

LXXXII. Super contagiosorum morborum communicabilitatem et vehementiam frequentissimè influit primarum viarum conditio (1). Itaque petechiales febres, cacochyliâ gastricâ dependentes, in personis benè valentibus et quarum organa digestiva suas functiones rectè et naturaliter adimplent (2), non regenerantur; aut etiam, si nimiâ constantiâ in incurrendo suscipiendi contagii discrimine ex istius miasmatibus quamlibet ægrotationem experiebantur, nullas tamen petechias offerrent (3). Haud secùs, regnante febre icterode, qui nullum errorem in diætâ sibi permiserunt nec permittunt, et qui sine necessitate suas digestivas facultates non exercent, ab eâdem defenduntur (4). Solet insuper crudelis hic morbus sævire in illos qui, sicut Europæi in

(1) *Hoffmann*, oper. omnia. t. 1. p. 204.

(2) Hìnc explicari potest immunitas à febre scarlatinâ, invito infectionis quotidiano periculo, per emetica, vel per Rheum pluribus vicibus deditum, vel per calomelas et sulfur aureum stibiatum fractissimâ dosi exhibitum, vel tandem per tincturam Belladonæ in exiguissimâ dosi concessam. Hìnc non fomes contagii destruebatur, sed causa prædisponens. (Ann. de litt. méd. étrang. t. VI. p. 244. 246.)

(3) *Car. Strackius*, de morbo cum petechiis. Carlsruhæ, 1796. p. 76.

(4) *Schotte*, op. cit. p. 134.

fervidis climatibus advenientes, cibis excitantibus et liquoribus spirituosis indulgent (VII).

Contagium rarius ac mitius in excelsis locis etc.

LXXXIII. Magis adhuc pertimescendum erit contagium in loco paludoso vel hominibus redundante, quàm in excelso, deserto et sicco (1). Ideò eximius *Otto* notaverat gentem contaminatam à febre Philadelphiæ flavâ et sese recipientem in altioribus regionibus, ubi regnabat febris remittens, nulli istarum incolæ suum contagium communicavisse, dùm contrarium eveniebat quandò apud plagarum decliviorum habitatores infectus sese conferebat (2). Præterea non prætermittendum est in locis udis, præcipuè simùl calidis, febres, quarum indoles alibi passim intermittentiam induerent, fieri biliosas remittentes et tandem participare typum febris icterodes, quæ aliarum affectionum alterationem semper petit. Reapsè ultimus iste morbus aliquid suæ indolis ac sui ingenii alteris impertit, non secùs ac *Vaccinati*, quorum in mediâ variolarum contagione tunc nosocomium infestante, curam gessit Exim. Woodvillus, in diversis corporis partibus multifariam eruptionem sæpè præsentârunt, hoc tamen vitio exanthematico prorsùs

Paludosi loci febrem pejorem reddunt.

(1) *Matteo Carrey*, op. cit. p. 74.

(2) Annal. de litt. méd. étrang. 14.e cahier, p. 148.

deficiente apud subjectos, procùl à variolosâ influentiâ vel extrà ejus tempus *vaccinationem* subeuntes (1). *Vid.* (LXXXVII). Quoad periculum contagii gravius in locis nimiâ hominum et præcipuè ægrorum turbâ plenis, à singulis sentitur et admittitur. Corrupto enim aëre ex aurâ plurium ægrotantium coacervatorum, Haënius jàm dixerat febres simpliciter acutas ad malignitatem, et malignas ad contagium dispositas fieri (2); cujus assertionis probatio facilis, negativo simùl ac positivo modo, deprometur ex tractatu Celeb. Poissonnier-Desperrières, de morbis navigantium, in quo legitur (3) ex quadringentis nautis moribundis è febre malignâ contagiosâ, et in portu *Louisbourg* relictis, viginti tantùm obiisse, dùm in sex primis navigationis diebus mille *convalescentes*, quorum apparens ab ægritudine recreatio ascensionem in navem rursùs permiserat, *perierunt omnes*. Quandò perplurimi ægri, præsertim febre putridâ laborantes, in parvo

---

(1) Vid. *Gianini*, memorie di medicina. t. 3. p. 184. 202. = *Sarcone*, op. cit. t. 2. p. 416.

(2) *Haënius*, rat. med. t. VIII. pars. XIV. cap. IV. t. IX. cap. X, de feb. pestilent. = *Sarcone*, op. cit. t. 2. p. 48. = *Lepecq de la Clôture*, des Epidémies, tom. 1. p. 317.

(3) Mal. des gens de mer. p. 265.

spatio includuntur, accidit, juxtà Duhamelium, ut nonnulli morbi, naturâ suâ non communicabiles, tales tamen evadant, cùm translatio in aërem certi corruptionis gradûs ab eis permittitur (1).

Cur urbis pestilentiâ affectæ quædam Tribus aliquando illæsa fuit?

LXXXIV. Cœterùm, locus parùm vento perflatus, nimis clausus, uno verbo utiles ventilationis sæpè reiteratæ effectus non experiens, ad provocandam et servandam contagionem maximè idoneus fit (2). Si fateri decet Massiliæ vicos angustos atque immundos magis à peste olim intactos fuisse, simùl notetur hanc immunitatem in eo pependisse quòd vapores ex istis locis exsilientes à vaporibus locorum, ubi pestis sæviebat, diversi existebant (3); quòd indè inter incolas alterutrorum manifesta differentia sese præbebat; quòdque tandem, prioribus illæsis, posteriores soli morbo pestilentiali tentari potuerant. Itaque

Continuatur confirmatio supradictorum (LXXXIII).

hæc exceptio non directè adversatur D.ri *Haigartho*, quandò iste fatetur in variolarum, ex. gr., materie purulentâ aut etiam in

(1) *Sarcone*, ibid. t. 2. p. 422. = *Goddard*, Mém. de l'Académie de Dijon, 1785, p. 352. = *Baumes*, Méthode de guérir, etc. p. 145.

(2) *Fordyce*; *Voy*. Annal. de litt. méd. étr. t. 3. p. 115. = *Lepecq de la Clôture*, op. cit. p. 320. 328.

(3) *Cotte*, Météorologie, in-4.° p. 491.

excrementis variolosorum crassissimis facultatem istius affectionis exanthematicæ communicandæ diù retineri posse, modò ægroti sint inclusi et ab aëre exteriore tuti (1), et quandò aliò asserit febrem nosocomialem aperto cælo rarè sese communicare (2). Godardus pariter expressis verbis dixerat quemcunque morbum acutum in aëre libero faciliùs ac tutiùs debellari quàm in stagnante et ægrorum halitibus corrupto, contagiosas affectiones ab auræ renovatione multùm enervari, et etiam earum communicabilitatem et malignitatem tunc omninò deleri; quæ conversio ex miasmatum sublatione et dissolutione evenit (3). Demùm, in mentem meam revocans cunctos peste correptos et abeuntes nosodochiis ordinariis, ubi omnia quamdam humiditatem calidam participant atque mundities

(1) *Smith*, Observ. sur les fièvres des prisons, trad. par *Odier*, p. 19.

(2) *Ibid.* p. 22.

(3) *Godard*, l. c. = *Dehaen*, rat. méd. t. 8. p. 15, 154. = Febre flavâ laborantes et rus sese recipientes contagem rarò illic communicârunt, propter quòd aër in eorum receptaculis minùs coërcitus, constantiùs verò renovatus, non offerebat hanc humiditatem quæ urbium atmosphæram format, et quòd vita campestris minùs frequenter quàm oppidana errores in regimine exhibet.

difficilis et perrara præstatur, graviter laborasse et graviùs quàm alteros ex aliis locis provenientes, non prætermittam medicorum navigantium observationes è quibus constat mortalitatem majorem se præbere inter nautas pariter eductos è navibus, ubi coacervatio ægrorum permanet, quàm inter ægrotantes terrestria nosocodomia occupantes. (VII. LXXXIII).

Pro ægris aggregatis eadem symptomata, eamdem solutionem etc. exhibere videtur morbus contagiosus.

LXXXV. Observandum-ne esset morbum contagiosum nonnullum in loco parùm spatioso fixum et firmatum apud singulos ægros eumdem gressum, eamdem solutionem et generaliter eadem omnia symptomata oblaturum fore? Hoc saltem suspicari daretur ex animadversione Hoffmannii nos edocente duos conjuges et virginem his consanguinitate conjunctam intrà quatriduum et successivè obiisse ex febre catharrali malignâ, quâ filius duorum primorum laborabat (1). = Ferè idem narratur in Historiâ ubi legitur Pericles, cujus cognati omnes peste perierant, eodem morbo occubuisse. = Nuperrimè, nautæ navis americanæ *Columbia of Providence* (uno excepto) singuli habuerunt febrem flavam cum delirio, nigris vomitibus, etc., et æqualiter circà

(1) Opera omnia etc. t. 2. p. 91.

septimam morbi diem obierunt omnes (1). = Duodecima Strackii observatio præsentat eamdem identitatem symptomatum et cursûs in morbo petechiali quo septem ejusdem domûs personæ tentabantur (2). Prætereà, ex impressione ejusdem epidemiæ plùs minùs-ve durante, et ex influxu ejusdem regiminis ac ejusdem temperiei atmosphæricæ, ad acquirendum similis alterius consequentis morbi, ex. gr. scabiei, contagium manifestam habilitatem etiam contrahunt ægri (3).

De actione aëris humidi super febrem flavam.

LXXXVI. Gravius argumentum ad confirmandum influxum humiditatis aëris (quam adauget terra uliginosa) in gratiâ propagationis ac vehementiæ febris icterodes desumitur ex differentiâ perniciei quæ magna extitit in plerisque viculis littora fluvii Gualdaquivir tenentibus, dùm per alios vicos haud distantes, sed in mediis terris aut super eminentias positos multo minùs gravis se præbuit. Hoc contagium plerasque Gadium regiones rapidè visitans, in istius urbis locis coarctatis, populosis, et in angiportis parùm aut nulliter ventilatis ferè stationale fuit (4).

(1) *Berte*, op. cit. p. 395.

(2) De morbo cum petechiis, p. 120.

(3) *Huxam*, de aëre etc. vol. 1. p. 35.

(4) *Berte*, op. cit. p. 161. 162.

Divites etiam quorum ædes in humilibus civitatis Xerès partibus, gente numerosâ frequentatis, haudque multùm aëre perflatis, semper et invitis omnibus cautelis vicinorum suorum sortem subierunt (1). Itidem ex stagnante et malacâ humiditate accrevit mortalitas. Quapropter, numero ægrotantium undiquè æquato, mortui in immundis et angustis regionibus plures adfuerunt quàm in nitidis, aëri apertis et minùs obstructis. Similem differentiam in defunctorum numero præbere queunt nosocomia, prout humida sese præstant. Valetudinarium enim ædificium in mediâ urbe Gaditanâ locatum grandiorem perniciem quàm militare nosodochium extrà muros positum dedit (2). *Don Francisco Balmis* item observavit in insulâ Haïtianâ nullum militem in declivibus, arundinosis et humidis terris considentem militiæ laboribus indulgere potuisse, dùm alii locum eminentem et siccum habitantes in ægrescentibus vix dimidium præ prioribus suppeditârunt (3). Adnotatur aërem mollem, id est, calidum et humidum pro communicatione et energiâ contagiosarum febrium efficere non

(1) *Berte*, op. cit. etc.

(2) *Berte*, op. cit. p. 372.

(3) *Berte*, *ibid.* p. 164.

secùs ac aqua calida pro injectionibus periculosis in venâ tentatis, sicut et pro augendâ virtute veneni aciem sagittarum apud Sylvaticos fœdantis (XXXIV). Sæpè quoque vidit Smithius ex humiditate atmospheræ faciliorem ac actuosiorem reddi nosocomialem contagionem, præsertim si ægri madefactas vestes habent, simùlque si exercitio incalescunt et in perspirationem cadunt (1).

Quomodò vegetatio contagionem faciliorem reddere potest ?

LXXXVII. Faveret-ne contagioni valdè vigens vegetatio ? Petrus *Vanelsaker* adnotavit rem ità se habuisse per constitutionem febris remittentis putrido-biliosæ in Antuerpiam epidemicè et exitiosè grassantis anno 1772, cùm vegetatio strenua et fœcunda vigescebat (2). = Finkius etiam asserit æstatem 1778, quæ calida et frugum et fructuum collectioni favorabilis fuit ac salubris apparuit, plurimos tamen morbos, et præcipuè anginas biliosas præsentasse (3). = Ex Jack-

---

(1) Observ. sur les fièvres des prisons, p. 22. = Quæ omnia de morbis hominum contagiosis hactenùs dicta fuerunt, pariter de epizootiis inter animalia et de epidemiis inter gentes intelligenda sunt, quandò regimen et anni tempus humiditatem vel in corporibus vel in aëre majorem attulerunt. (*Voy*. Collect. Académ. part. étrang. t. 2. p. 286. 320.)

(2) *Schlegel*, Thesaur. Path. Therap. vol. 1. p. 343.

(3) De morbis biliosis anomalis, etc. p. 16.

sonio æquè certum est existere quamdam febrem epidemicam forti vegetatione exortam. « Hìc est ratio, inquit iste medicus, » cur sint morbi endemici sub tropicis aut » quibusdam aliis fervidis regionibus versùs » septentrionem positis. Valles, æquora, » maris fluviorumque littora et terræ palu- » dosæ à febribus endemicis magis depopu- » lantur quàm loci alii excelsi et interiores, » ubi vegetatio minùs florida prodit. Verisi- » mile videtur succos nutritios maximè co- » piosos in terreno uliginoso, super quod » plantæ in suo incremento reprimuntur, » per atmosphæram sese affundentes morbis » variis occasionem offerre ». Ex eo explicatur, juxtà hunc medicum, influxus variorum anni temporum in quibus morbus ingravescit, prout vegetabilia succis nutritivis egere cessant, ut id fit, v. g., in Autumno (1). *Vid.* (LXXXIII). De reliquo, epidemicæ affectiones ex ambientibus vaporibus, qui vegetationis gressum comitant et sequuntur, suam causam materialem percipere vel corroborare valent (2). Damnosus autem hic casus adhuc certior exoritur per *morbosam*

---

(1) Journal de Médecine, par *Corvisard*, etc. t. X. p. 316.

(2) *Fouquet*, Constitution de l'an V. p. 47.

vegetationem cujus aliundè interventus pro febris flavæ prognosi Clar. *Rushio* præbetur (1). Quidquid de hâc re dicatur vel autumetur, advertendum est ab atmosphærâ siccâ et calidâ humiditatem corporis imminui, et è contrario eam majorem fieri in aëre calido et humido tempori vegetationis persæpè proprio. Demùm sequentis ideæ expositionem tentare hìc mihi liceat.

Vegetatio et animalisatio sese adjuvant; sed unâ dominante, altera decrescit.

LXXXVIII. Ubicumque *animalisatio* est dominans, ibi decrescit ac perit *vegetatio*. Plantæ reapsè raræ vel vitiosæ existunt in cœno insectis ac vermibus scatente. Procul dubio *animalisatio* aliquid magis perfecti exhibet quàm *vegetatio*. Ista enim adest minor gradus *expansibilitatis* quâcum systema entium animatorum ad suam evolutionem tendit. Uno verbo, *vegetatio* est entis animati transitio; idest, antequàm *vivat*, aliquid simpliciter organisati tantùm ostendit; sed quandò vitâ potitur, vegetativa facultas fermè nihil est si ea conferatur cum virtute *animalisante*, cujus ope ens vivum et animatum constituitur. . . Tandem motus *creator* animantium perfectior et actuosior est quàm motus *organisator* vegetabilium, quorum etiam evulsio et destructio in gratiâ

(1) Annal. de Méd. étr. t. 2. p. 162.

animatæ creaturæ dantur utiles et necessariæ. Aliundè vegetationi, cùm florida et dives prodit, incumbit gravis columna aëris humidi utplurimùm ferè quiescentis ac paludosi, ita ut ex hac atmosphærâ malè se habeat corpus humanum, sicut jàm suprà dictum fuit (LXXXIII et seq.), et simùl non acquirat satis calorici quò renovatio istius elementi necessaria exerceatur. Saltèm sub hoc ultimo respectu copiosæ humiditatis copiosam messem stipantis, mea sententia de modo, quo suprà nos agit vigens vegetatio, consentanea dari potest cum assertione quorumdam auctorum (1) annum frugiferum pro salubri tamen tenentium, modò *nimia humiditas* absit. Læta igitur vegetatio non immediatè contagioni favet; sed ex unâ parte corporis cutem relaxando et madefaciendo, et ex alterâ parte ad instar vehiculi ad contagii introductionem requisiti sese præbendo, posterioris actionem et prioris affectionem disponit; quod tamen locum non haberet mediante atmosphærâ fervidâ et siccâ (XXXIV. et seq.). Itaque contagione in tempestatibus humidis faciliore admissâ, consentiendum est cum egregio *Sims* anginam, v. g., quæ naturaliter non est contagiosa, hanc pro-

Vegetatio est tempus generalium morborum, quia tempus est aëris humidi.

---

(1) *Hoffmann*, op. omnia, t. 5. p. 58.

prietatem sese communicandi per humidissimam constitutionem nihilominùs offerre (1). Ergò à vero haud absonum est quod statuit Raymondius dicens morbos populares cum vegetatione inchoare et desinere (2).

Humiditas temperamenti, sed adhuc certo caloris gradui juncta, contagem adjuvat.

LXXXIX. Temperamenti humiditas contagionem adjuvare pariter videtur. Hìc autem non obliviscendum est febrem flavam in personas *simpliciter* humidas et leucophlegmaticas minùs sæviisse, dùm è contrario faciliùs et sæpiùs eâ correpti sunt qui istius temperamenti speciei certum caloris constitutionalis gradum adjungebant. Ideò fæminæ, tantùm molles, verùm haud vivaces, infantes mucosi, et tandem subjecti laxâ corporis habitudine et sanguine parùm fervente præditi, rariùs evadebant victimæ istius typhodes, quàm alii quorum sanguineum temperamentum simùl calorem atque humiditatem offerebat (3) : sic etiam, sed in contrario sensu, senes fibrâ rigidâ, calefactâ, non vero sufficienter humidâ instructi infrequentissimè eâ laborabant. Denique si Nigritæ indigenæ hunc morbum minùs quoque incurrunt, id ex eo evenit quod istorum cutis penetratur

(1) *Sims*, Maladies épidémiques, p. 60.

(2) Mém. de la Soc. Roy. de Méd. 1781. 81. p. 43.

(3) *Berte*, op. cit. p. 170.

calore magno ac nimio, in comparatione humiditatis quæ in illâ regnat, et quæ aliundè potiùs oleosa quàm aquosa præstat.

Venti molles ad propagationem morborum inducunt.

XC. Si humiditas è locis deprompta, vel ex ægrotantis temperamento producta, morbi epidemici aut alterius cujuslibet propagationem adjuvat, istius affectionis communicationi expeditior via aperietur occasione australium ventorum aut aliorum, sed ex plagis calidis et paludosis spirantium. Omnes enim isti venti, quamvis calidi, non possunt diversas corporum humanorum exhalationes dissolvere, sed tantùm suspensas tenere, propter quòd simùl humidi existunt, et hoc modo jàm vaporibus saturati adsunt. Indè fit ut eadem effluvia, ex suâ junctione cum aëre gravi et æstuoso, conditionem ad sese introducenda inter partes nostras requisitam acquirant (1). Cœterùm, cuicunque omnes suprà allatas observationes pro sufficientibus non accipienti nunc satis puto suadere evolutionem, lectionem et collationem auctorum qui de popularibus morbis multa scripserunt, et inprimis medici Lepecq de la Clôture de pestilentiali epidemiâ cujus assultum Lupariæ anno 1770 vehementem expertæ fuerunt (XII. XIV).

---

(1) Mém. de l'Acad. de Dijon, 1785. p. 369.

XCI. Morbi exitiosi et contagiosi ad sese propagandos minorem facultatem et in suâ actione levius discrimen possident vel monstrant, quandò paucos invadunt et aliquo modo adhuc tantùm sporadici existunt, quàm cùm generales grassantur et multos tentant; in quo ultimo casu pariter periculosiores sese præbent (1). Prætereà, plùsquàm probabile datur, 1.° pestem orientalem, febrem flavam etc.; ab uno corpore ad aliud corpus naturaliter transeuntes, futuras esse (ut id accidit in variolis eodem modo transmissis) magis actuosas, quàm si causarum generalium effectus essent; et sic multò magis attribui debere reciproco influxui hominum quàm atmosphæræ constitutioni (2), pro determinandâ energiâ miasmatis aut contagii super magnum individuorum numerum; 2.° contagis progressus prodituros esse in ratione gradûs animalisationis à miasmatibus subitæ, et 3.° tandem, sicut mortalitas sæpè datur in relatione sive comparatione minùs cùm morbi vehementiâ, quàm cum ægrorum

Progressus contagii minùs ab energiâ morbi quàm ab ægrorum numero pendet.

---

(1) *Oræus*, op. cit. p. 64. = *Thomann* delle febbre nervose. *Vid.* Bibl. Med. Brouniana Germanica, vol. 1. p. 235.

(2) G. *Tommasini*, della febbre gialla etc. p. 340.

Energia contagii variat secundùm numerum partium læsarum, et difficultatem cum quâ in uno loco sese explicat;

numero (1), ità etiam infectorum multitudinem potiùs per moderatam quàm per gravem contagionem existere posse (2). Insuper, cùm morbus perplures partes occupat, et eo ipso complicatus videtur, erumpit majus contagium. Quapropter febris biliosa *simplex* solùm tanquàm epidemica regnare valet, dùm extrà primas vias sedem suam extendens, aut simul cum aliâ morbidâ affectione, præsertim cutaneâ (v. g. petechiis) superveniens, contagii capacem sese ostendere haud rarò potest. Denique, contagionis energia sese explicat in ratione versâ difficultatis cum quâ inter alios morbos dominans et sola extitit, præcipuè in climatibus quæ ferè eadem diù permanent. Indè constituitur perniciosa pestis in Ægypto, cujus temperatura cum eâdem et constante uniformitate longùm sese monstrat.

— Et ratione inversâ diathesis individuorum ejus actioni expositorum.

XCII. Universaliter contagium cum energiâ *inversâ* diathesis individuorum ejus actioni expositorum suscipitur. Si, v. g., Albi morbo bilioso cujus indoles eorum idyosincrasiæ magis adversatur, magis morbidè afficiuntur,

(1) *Lind*. Fièvres contagieuses, p. 26. 68. *Cadevallader-Colden*. Medical observations and inquiries, t. 1. p. 217.

(2) *Smith*, Observ. sur les fièvres des prisons, etc.

ciuntur, ad vicem compensationis Nigritæ ab affectione pituitosâ (1), cui eorum constitutio biliosa minùs consentit, magis etiam sunt laborantes. Itaque morbus epidemicus biliosus, qui contrà Europæos sese exerceret, multò minùs noceret Nigritis, sicut et illis priorum apud quos diathesis evidenter et radicitùs biliosa constitueretur. Hæc exceptio vel differentia procùl dubio ex eo adhuc evenit quòd Nigritæ liberiorem et copiosiorem quàm Europæi (2) perspirationem cutaneam habeant. Admittendum est igitur effectus morborum plùs vel minùs vehementes sese exhibere, prout constitutioni corporum illos suscipientium opponuntur aut accommodantur (LIII. LXIV.)

Cur in peste ac in febre flavâ etc. gravius est contagium quàm in aliis morbis?

XCIII. In peste orientali ac in febre flavâ contagium fortassè gravius est quàm in pluribus aliis morbis, proptereà quòd super perspirationis humorem primitùs et directè agit, atque hic *generalis* humor quamlibet alterationem (ex pestilentiâ ortam) percipere potest intermedio cæterorum omnium *partialium* humorum, sicut salivæ, bilis, granicæ, puris bubonum hausti vel in plagâ insiti,

(1) *Grimaud*, Traité des fièvres, t. 3. p. 219. = *Wilson*, op. cit. p. 224.

(2) *Schotte*, op. cit. p. 84.

saltem apud animalia (1), dùm, ut contagiones magis particulares, v. g. rubeolæ, scabies, variolæ, etc., communicabiles fiant, requiritur interventus *specialis* cujusdam humoris, qui causam morbi materialem efficit. Et forsitan, ex facultate inquinandi unumquodque fluidum, quam suâ vice pestilentiale miasma acquirit, advenit ut tàm crudeliter sæviat quandò in regionem plerùmque ab eo alienam, tunc verò circumstantias ejus explicationi propitias offerentem introducitur.

Via contagii in hominibus vel in animalibus fortè non eadem est.

Perspiratio cutanea, major in hominibus quàm in animalibus adhuc rationem efficit cur priores contagiosos morbos per cutem faciliùs accipere queant, dùm posteriora fortè expeditiùs ac frequentiùs per deglutitionem illos contrahunt.

Conclusiones ex suprà dictis parùm decisivæ.

XCIV. Omnes generalitates de morbis contagiosis suprà et modò stabilitæ, earumdem accommodationes peculiariter pesti orientali et typho icterodi applicatæ, omnes particulares assertiones de istis ultimis affectionibus enunciatæ, reipsa primum quæstionis propositæ membrum non penitûs resolvunt, nec semper indicant fixum tempus cùm pestilentiale germen, sine suæ virtutis amissione

(1) *Paulet*, op. cit. t. 2. p. 190.

super quemdam subjectum manere possit, nihilque tandem certioris statuunt de intervallo temporis quod antè suam explicationem materies contagiosa intrà infectum consumere valet etc. etc. Sed iidem morbi, tàm in suis anomaliis varii et incerti quàm in suis effectibus exitiosi, tàm in suo agendi modo ancipites aut obscuri quàm in periculo quod portendunt manifesti, tàmque in suo progressu irregulares quàm in suâ solutione prompti et persæpè infausti, eodem modo quo et aliæ affectiones morbidæ concipi, attendi, observari et curari nequeunt; ita ut dicere licitum sit nullum datum particulare et speciale constitui, nec unquàm forsitan constituendum fore, ut statuatur invasionis contagii et ejus explicationis momentum, aut ut decernatur ejus incessus, aut denique ut ejus limites et exitus indicentur. In hâc rerum perturbatione et in istâ tenebrarum compage, quid positivi admittere fas esset? Ego verò, tenuitatem et inscitiam meam fatens, lineas meas satis momentosas æstimabo, si ex quibusdam factis ad febrem flavam et pestem orientalem attinentibus, et præsertim ex pluribus animalium morbis analogis asserere et confirmare potuerim translationem harum priorum affectionum ex corpore sano et illæso in aliud generaliter fieri

Repetitio argumentorum quorum probatio tentata fuit.

possibilem, et si probaverim 1.° easdem, item uti plerosque alios morbos contagiosos, in omnibus suis stadiis non esse communicabiles, 2.° earum contagiosam habilitatem esse in proportione cum earum continuitate, et cum statu relationis et congruentiæ inficiendum inter et inficientem, et 3.° tandem earum explicationem adjuvari secundùm gradum actionis antecedentis in cute aut alio organo, omnis systematis robur, atmospheræ temperiem, et denique secundùm individui temperamentum etc. (XCI). Ast, si rei tàm ponderosæ extricationem solùm tentavi, ad quosdam alios medicos in observationibus et factis ditiores et in opere feliciores fortassè pertinebit completus et perfectus ejusdem laboris successus.

Secundum Quæstionis Membrum.

Quid est sanitas?

XCV. Ut rectè solvatur pars quæstionis secunda, quid per *sanitatem* intelligatur accuratè perpendendum est.

Hic vitæ status in quo inter functiones cunctas mutuæ relationes et cognationes observantur, in quo fluida et solida ad eumdem finem unà tendunt et simùl conspirant, in quo denique nulla mutatio subitanea et insueta occurrit sive in formâ, sive in mix-

tione naturali materiei organorum (1), *sanitatem* constituit. Verùm hic status non idem est in omnibus hominibus, nec in singulis eorum existentiæ temporibus. Etenim omnes populi in proportione et consistentiâ humorum ac solidorum inter se discrepant; et ætas unaquæque in aliis et aliis aliquam differentiam pariter affert. Attamen, sanitas in eo tempore adhuc adesse potest. Si verò invitis istis diversitatibus, illa semper locum habet, id fit propterea quod unusquisque populus et unusquisque sexus nascuntur et existunt cum levibus istis varietatibus, quæ hoc modo eis peculiares et naturales sunt, et de quibus per ætatem aut per actionem sex rerum non-naturalium declinari non debet, nisi sensìm ac gradatìm: aliter, à mutationibus gravibus ac modificationibus præcipitibus extruderentur è terminis in quibus eorum existentiæ harmonia constituitur, et extrà quos status morbosus accedere facilè concipitur.

Cui rei tenet morbus? de vitâ unicuique propriâ.

XCVI. Promptiori igitur et graviori perturbationi in partibus corporis humani vel crassis vel tenuibus tenet morbus: sed quandò hæc affectio instituitur, id evenit contrà naturæ ordinem et intentionem. Ergò, unusquisque in suo elemento vitali rationem suæ

(1) *Hufeland*, Voy. Bibl. Germanique, t. 6. p. 68.

vitæ sicut et suæ sanitatis habere debet et reapsè continet. Ideò proprietates quas in hoc vitali principio agnoscimus et aspicimus, et simul etiam illæ quæ, licèt sub sensus nostros non cadant, attamen nobismetipsis particulares et inhærentes probabilissimè admittuntur, in causâ sunt cur possideamus vitam alienam vitæ similium nostrorum inter quos tempora consumimus. Indè, disjunctus et solitarius homo *secundùm Naturam* vitâ potiretur : actioni levi et quotidianæ sex rerum non-naturalium duntaxàt obnoxius, usque ad certum tempus in vigore accresceret, et posteà imminueret, sed lento et vix sensibili modo, ità ut in sanitatis conditione continuò versaretur, atque mors ipsa, ut terminus harmoniæ et naturalis decrescentiæ, sese præberet.

De vitâ hominis solitarii.

Vita hominum in societate positorum ex eorum communicatione influitur.

XCVII. Usque adeò, præstitum fuit exemplum Sanitatis *individualis* valdè firmatæ et constantis, cujusque tamen punctum unicum et immutabile assignari nequit. At apud hominem in Societate positum, fixa *sanitatis* designatio perdifficilis adhuc deciditur. Etenim, in hominibus junctis et mutuæ connexioni utilitatis ac necessitatis subjectis, integra vita cum eâdem in cunctis æquabilitate suum circulum non percurrit. Quibusdam legibus à nobis solùm consectatis, reciprocum

influxum inter nos producimus et experimur; et consequenter noster vitæ et sanitatis status per se ipsum et ab omni cognatione cum entibus externis, sive animatis sive inanimatis alienus non semper existit nec prodit : itaque indubitanter huic statui *sanitatis influxæ* applicanda est quæstio cujus solutio desideratur, et de quâ sciendum est an à miasmatibus super quamdam substantiam depositis *benè valentes* affici possint. Verùm etiam in hoc casu attentè observare decet eamdem quæstionem, in suâ directâ atque exclusoriâ accommodatione ad hominem *civilem* cujus exterior dispositio et interior organisatio, ut anteà jam dictum fuit, ex dispositione et organisatione ejus vicinorum consimilium compositæ aut saltem modificatæ præbentur, insolubilem fieri. Etenim in *civilisationis* conditione *educatio* et *ars*, delectationes ac relationes nostras reciprocas multiplicando, nostrorum organorum numerum aliquo modo extenderunt. Idcircò apud nos profertur quædam varietas aspectuum sub quibus mutuæ in morali et in physico similitudines verè inspiciuntur, et quarum ratione individuæ nostræ sympathiæ, *sine quibus nulla prodiret contagio*, explicari possunt. Itaque dicta mea clarissimè resumens asseram, 1.° in causâ cujuslibet morbi sporadicè suscipiendi necessariam

Quænam positio requiritur ut morbus aut sporadicus aut con-

tagiosus susci-piatur ?

esse positionem in statû plùs minùs-ve opposito conditioni cujus naturalis *harmonia* sanitatem constituit ; et 2.° ad dandam occasionem invasioni morbi qui, pro primâ victimâ *sporadicus*, fit verò *contagiosus* pro secundâ etc., requiri ut hæc posterior reperiatur et versetur in statu analogiæ et connexionis cum priore cujus proindè veram influentiam subiret, et tandem ut nulliter potiatur suâ sanitate individuâ sibi propriâ, et quâ mediante ab actione statûs physici circumeuntium corporum aliena se præstaret.

Infectus suam contagionem *benè valenti* dare nequit,

XCVIII. Admissis suprà allatis principiis, facilè et naturaliter concluditur hominem infectum homini *benè valenti* affectionem suam communicare non valere. Nàm simul ac posterior ad contrahendum morbum contagiosum aliquam aptitudinem manifestabit, undique visatur ac examinetur; et indubitanter in suo physico et etiam in suâ organisatione quamdam mutationem acquisivisse videbitur, ita ut jàm ex hoc momento sanitatis statu sese amoveat ad ægritudinis statum approximandum et tangendum. Sic sanitatis status propriè dictus contagioni oppositus datur (1), nihilominùs tamen non exclusorio

— nec laboranti

(1) De hâc re sequentia profert Clar. *Rubinius* : « Il » primo oggetto, che forma la profilassi . . . , sarà

modo. Nàm præsentia morbi cujus sedes et natura à sede et naturâ alterius, licet contagiosi, discrepant, hanc proprietatem exercent. Quamobrem scabiosi, pruriginosi, hydropici, leucophlegmatici, et generatìm imbecilles à peste, v. g., et febre flavâ haud tentantur (LXX-LXXIV), dùm robustiores utrique morbo magis obnoxii occurrunt. Undè hæc exceptio, nisi ex eò quod morbosus status, sicut et sanus, quamdam notabilem et constantem differentiam inter infectum et inficiendum exhibeat? Ideò, ut jàm posuit clarissimus Hufelandius (1), ad stabiliendam contagionem communicatio, aut rectiùs, attactus venenorum contagiosorum non sufficit; ampliùs requiritur in gratiâ eorum admissionis quædam in corpore dispositio (2).

aliâ gravi affectione.

XCIX. Verùm undè provenit ista opportunitas, v. g., pro febre flavâ contrahendâ? È statû *generali* in quo individuus homo existit, et è statu *particulari* unius systematis vel organi, cujus occasio actioni vel

Ad contrahendum morbum contagiosum exiguntur,

» adimpito dal medico sè egli cercherà di porre le per-
» sone che trovansi in pericolo d'infezioni nello stato di
» maggiore salute possibile etc. » op. cit. p. 118.

(1) Art de prolonger la vie, p. 203.

(2) *Fuller*, Exanthematologia, p. 104. = *Sarcone*, op. cit. t. 2. p. 15.

introductioni miasmatum in partes nostras inservit, hæc aptitudo depromitur. Prior conditio locum habet, quandò subjectus inficiendus sese offert in positione plùs minùsve analogâ positioni in quâ momento eruptionis morbi communicabilis versabatur primus æger : posterior consistit in expansione, dilatatione ac turgescentiâ circumferentiæ corporis et ejus organorum, atque in proclivitate cum quâ humores easdem partes petunt, et cujus exsecutio præsertìm apud advenas insulis Caraïbis appellentes notabilis præstat (1). Tandem adhuc existit tertia conditio infectioni maximè favorabilis et dependens ab opportunitate ejusdem organi cutanei magis turgidi aut laxi ut ab eo percipiatur impressio nimis irritans (aut si meliùs desideratur, nimis *sedativa*) aëris calidi, humidi et parùm renovati, quâ mediante systema communium tegumentorum statum organisationis liberæ perspirationi cutaneæ aptum et necessarium amittit, ita ut perspirabilis humor retrogradam circulationem experiatur et indè qualitates non naturales acquirat.

— Conditio generalis,

— Conditio localis remota,

— Conditio localis proxima.

---

(1) Hæc ultima conditio, ex statu cutis deprompta, ergà febrem flavam tantùm admittenda est; nàm pro altero contagioso morbo, aliud systema alteram læsionem organicam offerre debet.

C. Si hæ variæ conditiones in causâ morbi cujuslibet contagiosi contrahendi necessariæ dantur, et si corpora, quæ primam illarum subire incipiunt, aut omnes alias exhibent, jam in morbosâ opportunitate versantur, inferre necesse est, saltem quantùm ego sentio, à miasmatibus morbidis affici non posse *benè valentes*, quorum status has singulas conditiones morbosas strictè excludit, et indè consequenter ipsismet hominibus sanis mediantibus Epidemias ac Contagiones propagari non valere.

Conclusio negativa secundi membri quæstionis.

Quædam generalia Corollaria solùm plerisque Typhis acutis applicanda.

1. Ut fiat aër invasioni sporadicæ vel epidemicæ tum febris flavæ, tum pestis orientalis, etc. contrarius, ejus temperies ab illâ, quæ alterutri morbo favet, strictè declinare debet.

2. Anterius regimen, sed moderatum prædisponentem organicam febris icterodes causam arcet.

3. Si ex aëris calore vel frigore, verùm utroque humiditati dominante, super cutem

non exercetur constans impressio, tunc causa pariter prædisponens organica pestis orientalis abesse putanda est.

4. Præter istas causas prædisponentes organicas ac locales, et quarum concursus ingressioni sporadicæ aut epidemicæ utriusque morbi ansam præbet, adhuc requiritur identitas structuræ, et functionum etc., ægris et expositis communis, ut alterutra affectio ingenium contagiosum induat.

5. Consequenter omnes circumstantiæ ad istam identitatem minuendam vel impedidiendam capaces contagioni obstabunt.

6. Inter impedimenta contagii imminet animi fortitudo, per quam reapsè conjux ergà conjugem, filius ergà patrem, et fratres aut amici inter se officiosè agentes, suam physicam conditionem ita modificare queunt ut ex eâ identitas structuræ et functionum nihil pro contagione suscipiendâ valeat, sed contrà ut è statu animæ diverso exoriatur discrepantia ad immunitatem morbi sufficiens. Cùm autem nullus sui temperamenti aut physici aut moralis semper sit compos, timor, cujus perculsû *pauperes spiritu* sub influentiâ circumstantium ægrorum periculosiùs jacent, potiùs misericordiæ quàm criminis in loco istis objiciendus est.

7. Ex Hygienâ adhuc præstantur media; quorum ope individui homines satis ab ægris diversos sese præbere possunt, ut contagii discrimen amoveatur : talia sunt, accurata et constans mundities, frictiones oleosæ aut lotiones aquosæ frigidæ interdùm adhibitæ, in locis salubribus et amænis mansio etc., etc. Sic in Ægypto aquarii et olearii rarissimè infectione corripiuntur; sic quoque frictiones cum oleo in Archipelagi insulis et cum aquâ gelidâ aliis in locis contrà contagionem plurimùm valent.

8. Hæ cautelæ omnes, quarum prætermissio in primis morbi stadiis non semper strictè damnosa existit, in ultimo stadio, cùm solùm facultas ejus contagiosa extrà ægrum sese explicare potest, expressè commendantur.

9. Tandem, qui absolutè integrâ sunt valetudine, et sic benè valentes se conservare queunt, suscipiendæ contagioni inhabiles constanter permanent.

FINIS.



INDEX

RERUM ET VERBORUM.

FINIS.



